


MEDITATIONES
SUPER
VERITATES CHRISTIANAS
ET ECCLESIASTICAS

Desumptæ ex Epistolis & Evangeliis Missarum totius anni, atque in singulos illius hebdomadarum dies & principalia festa distributæ

UNIVERSIS De CLERO.

Ut & se ipsos ad Celebrandum seu dignè Communicandum, nec non ad quævis Ecclesiastica munia Sanctè obeunda disponere; & Populum suæ Curæ commissum debitè ac fructuose instruere valeant.

OPUS UTILISSIMUM.

AUTORE M. *** PRESBYTERO CURATO DIÆCESIS LUGDUNENSIS

Gallicè editum, latinitate verò à quodam Canonico Regulari S. Augustini donatum, in quatuor partes divisum, & pro Bono Cleri Germaniæ Typis impressum.

NUNC DEMUM

AUTHORITATE & MANDATO

Jllustrissimi Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Domini VENCESLAI HIERONYMI *de Bogusławice*

SIERAKOWSKI

Archiepiscopi Metropolitani Leopoliensis

REIMPRESSUM.

PARS HYEMALIS.

à Dominica Prima Adventûs ad Diem Cinerum.

Leopoli. Typis Confrat: SSS. Trinitatis
Cum Privilegio S. R. Majestatis A. D. 1770.



IGNIS IN ALTARI SEMPER ARDEBIT; QUEM NUTRIET SACERDOS, SUBIICIENS LIGNA MANE PER SINGULOS DIES. Lev. 6. 12.





DIVO CAROLO BORROMÆO,

S. R. E. CARDINALI EMINENTISSIMO, ARCHIPRÆSULI MEDIOLANENSI VIGILANTISSIMO, CLERI PATRONO COLENDISSIMO.

HASCE Meditationes ad fovendam Cleri pietatem editas ut nomini tuo dedicarem, Sanctissime Præsul, ipsamet pietas tua suasit & adduxit. Nec enim efficacius ad sanctioris vitæ normam Clericos adhortari poteram, quam Tuis sub auspiciis, Cardinalis Piissime, cujus virtutes eximias & prorsus singulares sic mirantur Ecclesiæ Ministri, ut cuncti te velut

Ducem ac Patronum suum colant, & venerentur. Universæ sane perspecta est Ecclesiæ illa tua major omni præconio sollicitudo pastoralis in Clericis informandis, tum morum probitate, tum rerum Ecclesiasticarum peritia. Hanc omnibus prædicant pro finienda Tridentina Synodo suscepti labores, pro regenda Plebe tibi commissa institutæ Congregationes, erecta Seminaria, legesque perutiles, quibus non solum Episcopis, sed aliis etiam Sacerdotibus curam Animarum habentibus ad munus optime peragendum viam tradis & offers tutissimam. Hanc denique enunciant celebrata Concilia, Provincialia seu Diæcesana undecim, Ordinationes variæ, Instructiones innumeræ, quibus christianam simul & Ecclesiasticam disciplinam instaurare, collapsos Cleri Populique mores emendare tantopere conatus es. Hæc omnia sub titulo Actorum Ecclesiæ Mediolanensis in unum collecta habemus omni thesauro nobis pretiosiora: siquidem ex hoc thesauro velut ex Academia quadam sacræ doctrinæ quotidie prodire cernimus instructissimos Sacerdotes, consumatos ac indefessos Operarios, qui vineam Domini diligenter excolunt, vitiorum stirpes evellunt, christianas virtutes cordibus hominum inserunt, fructumque ex labore suo referunt uberrimum. Tuis debentur curis, precibus & exemplis proventus isti, quibus affluit Dominicus ager, Antistes Reverendissime; rogare ne desistas Dominum Messis, Episcopum Animarum nostrarum Christum Jesum, ut similes Operarios mittat in Messem,

seu

seu Vineam suam. Istius etiam, precor, memor sis Opusculi, ut ad hæc emolumenta non nihil conducat, Legentesque juvet ad Sacerdotii munia dignius obeunda, ut per sanctos Sacerdotes Populus quoque sanctificetur Christianus.

Est quidem tenue quod offero Tibi munusculum, Cleri Patrone colendissime; sed intuere, quæso, mentis affectum, ipsius Dei quo frueris in Cælo factus æmulator, qui etiam in exiguis rebus offerentium gratum habet animum: nec ad confectionem Tabernaculi quod Moysi præceperat, minutissima pauperum dona, pilos caprarum & arietum pelles, aliaque id genus dedignatus est; tametsi ditiores alii aurum & gemmas in id opus conferrent. Deo namque animisque sublimibus peculiare est, ut voluntatis affectum magis quam munera, & studium cordis magis quam censum pensitent. Cujusmodi studio tibi devotissimus & addictissimus Servus æternum persistam.

Auctor.

PRÆ-

»§)(o)(§«

PRÆFATIO AUCTORIS

QUamquam plurimi jam meditationum libri super Evangelia in lucem prodierint, nemo tamen mirabitur, si & iste lucem publicam aspiciat. Si quis enim illos accurate apud se expendat, advertet facile, quod, cum principaliter pro sæcularibus scripti fuerint, adeo minutatim & in particulari obligationes & functiones clericales tangere, & tractare nequiverint, proinde tam utiles, & salubres Clero esse non possint, ac ille, qui ex instituto, ac singillatim ac in hunc finem conscriptus est.

Verum est, non plura, sed unum tantum divi evangelium, secundum quod quicunque demum christianus vivere debet, ut loquitur S. Basilius Lib. 2. de bapt. q. 1. *omnis baptizatus, Evangelii baptismate, debitor est, ut secundum evangelium vivat.* Regula enim est, non tam laicorum, quam Ecclesiasticorum; tam eorum, qui in mundo vivunt, quam, qui altari deserviunt; aliud exspectare non possumus, quam judicandos nos esse, secundum veritates divinas, quas in se continet, prout ipse Dei Filius nos admonet futurum, Jo. 12. v. 28. Sed quamvis evangelium regula quædam sit universalis,

omnes-

omnesque concernens, certum nihilominus est, plus virtutis & sanctitatis in, & à clericis exigi, quam à sæcularibus; ab iis, qui vocantur *lux mundi & sal terræ*, Math. 5. quam qui simpliciter sub nomine *ovium* comprehenduntur. Æquum igitur est, ut illis talia ad meditandum proponantur, quæ eminentiæ & sanctitati status ipsorum, & gravissimis eorum obligationibus magis conformia sunt; quæ tamen etiam sæcularibus haud inutilia erunt, siquidem ad perfectiora pervenire desiderent, & contendant.

Hic ipse finis & scopus fuit omnium, qui hanc materiam tractarunt; sed quia non ab omnibus, ut optandum erat, tam late & diffuse, ideo haud abs re imo necessarium esse duxi etiam post illos de hac materia scribere, non ideo tantum, ut nova meditationum materia subministretur, sed ut ad functiones sacras destinati ministri habeant, quibus meditandis, singulis diebus, occupari possint, qui præ cæteris magis obligati sunt, ut *in lege Domini meditentur die ac nocte*. Desumpta est meditationum istarum materia ex epistolis & Evangeliis per annum, dum divina mysteria celebrantur, ab Ecclesia assignatis, ut clerici, qui talia frequenter legunt, &, ut ita dicam, quasi continuo præ oculis habent, majus illicium exinde talia meditandi, & cum majore gustu sumant, & ut illi, quibus ex officio incumbit, talia populo proponendi & explicandi, hoc facere possint utilius & fructuosius, si ipsi prius meditando talia, probe penetraverint, siquidem orator

Eccle-

Ecclesiasticus oratione, præ eloquentia indiget, juxta doctrinam S. Augustini lib. de Doctr. Christ. c. 5. *pietate magis orationum quam oratorum facultate indiget: ut orando pro se ac pro illis quos est allocuturus, sit orator, antequam dictor. Ipsa hora,* ait hic S P. *jam, ut dicat accedens, priusquam exerat proferentem lingvam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat.*

Ut huic, S. hujus Doctoris, sensui me accomodarem, & clericos, præsertim curæ animarum addictos, non ad propriam solum, sed & aliorum perfectionem procurandam animarem, doctrinæ Ecclesiasticæ adjunxi, & immiscui etiam alias scientiæ moralis doctrinas, quas docere eos oportet, animas curæ suæ subjectas, ut adeo in qualibet septimana meditationum super epistolas & Evangelia facile reperturi sint, quid aliis proponere possint, si vel modicum temporis impendant ejusmodi materiis meditandis, siquidem verissimum est principium S. Augustini, quod, qui utiliter Dei verbum prædicare velit, orationis seu meditationis exercitiûm adjungere debeat: *oret, ut sermonem bonum det in os ejus. Si enim Regina Esther oravit pro suæ gentis temporaria salute, locutura apud regem, ut in os ejus congruum sermonem daret, quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrina laborat.* ibid. c. 3.

Etiam illi, quibus cura incumbit, clericos docendi, & instruendi, subsidium quoddam invenient

venient, ut puncta meditationum eis præscribere valeant; nec est necesse ad magis particularia hic descendere; ipsa enim lectio harum meditationum usum earundem deteget, ac docebit. Hoc unum mihi sufficiat, advertere, & monere lectorem, quod, cum unum ex principalioribus christianæ pietatis, & devotionis exercitiis sit, si quis digne accedat, ad participandum de Sanctissimo altaris Sacramento, ad finem cujuslibet meditationis, subjecerim brevem aliquam de sanctissima Eucharistia reflexionem, ut ita quilibet se probet prius, antequam ad hoc tremendum mysterium accedat, ad quod, ii vel maxime, majori dispositione & præparatione indigent, qui insuper hac prærogativa gaudent, ut ipsum sacrificium hoc incruentum nomine Christi & Ecclesiæ offerre valeant. Est hæc animadversio Patris Blessensis in pretiosa illa epistola, quam ad Episcopum Londinensem scripsit, ne eum in sacerdotem consecraret; *voce humana*, ait hic sapientissimus & piissimus Archi-Diaconus, *explicari non potest, cum quanta devotione confici, cum quanta cautela dispensari, cum quanta reverentia suscipi debet corpus Christi. Conficere vereor, quod affecto suscipere; nam cum utrobique pura conscientia exigatur, tamen vita perfectior, & conversatio eminentior, propter varias illius ordinis circumstantias, à sacerdote requiritur.* Qui vero diutius se occupare volunt, circa augustissimum hoc mysterium, consulere possunt meditationes, & iis vacare, quæ habentur in

3tia

3tia parte à Festo sanctissimi corporis Christi usque ad Dominicam 3tiam post Pentecosten, quæ ex instituto tractant de sanctissima eucharistia, ut sacramento, & ut sacrificio.

En! paucis tibi apertum & intentum, & dispositionem hujus operis, quod humillime ex totis præcordiis, judicio Ecclesiæ & Capitis ejus visibilis, à quo regitur & gubernatur, subjicio, siquidem mihi alia intentio, aut mens non est, quam ut Ecclesiæ serviam ea charitate, de qua loquitur Apostolus, quæ nascitur, *è corde puro, bona conscientia, & fide non ficta*. Quemadmodum etiam omnis & solus fructus ex his meditationibus trahendus ab eo solum proficisci debet, qui est author omnium bonorum, ita enixe rogo eos, qui hunc librum lecturi sunt, ut pro me, & mecum Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis supplicare velint, quo suam sanctam benedictionem pro gloria Sanctissimis nominis sui, & ad sanctificandos ministros suos eidem largiri dignetur, ut facta seria supra excellentiam status nostri reflexione gravissimas, quæ nobis incumbunt, obligationes impleamus, & de die in diem, mediantibus tam vocali quam mentali oratione, tanquam duabus viis securis & necessariis, in virtutibus crescere, & ad perfectionem pertingere valeamus juxta monitum & consilium S. Bernardi: *nemo repente fit summus*, ait hic S. P. Serm: 1. in festo S. Andreæ, *ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalæ: ascendamus igitur velut duobus quibusdam pedibus, meditatione & oratione; meditatio siquidem*

quidem docet, quid desit; oratio, ne desit obtinet, illa viam ostendit; ista deducit; meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula; oratione evadimus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto, vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

MONITUM.

Cum author hoc suo opere non tantum Ecclesiasticis ad propriam eorum perfectionem prodesse; verum etiam eos vel maxime, quibus Cura prædicandi verbi Dei incumbit ad instruendum Populum juvare intenderit: methodum ejus, qui ex suis meditationibus conciones facile efformari possint, ad finem quartæ partis apponentur. Interim sit:

RATIO MEDITANDI.

seu Synopsis Orationis Mentalis, ad Mentem seu methodum beati Francisci Salesii Episcopi Genevensis expressi.

Oratio mentalis tribus partibus constat.	Præparatione, quæ tres actus continet, puta	1. Sistere se coram Deo. 2. Postulare gratiam bene precandi. 3. Rem, de qua meditandum sibi ob oculos ponere.
	Meditatione, quæ alio nomine corpus orationis dicitur: & hæc item tres actus habet.	1. Discursu ac Considerationibus uti in rem propositam. 2. Pios affectus elicere. 3. Proposita statuere, vel de bono agendo, vel de malo vitando.

Conclusione, quæ tres etiam actus habet.	1. De progressu orationis gratias Deo referre. 2. Quæ proposueris eidem offerre. 3. Postulare gratiam præstandi, quæ proposueris.

ACTUS.

Faciendi ante Meditationem.

Flexis devote genibus, invocato Spiritu Sancto, facto Signo Crucis eliciendus est Actus.

1mo Fidei. O Deus infinitæ Majestatis, credo te hic esse præsentem.

2do Actus adorationis; Adoro te omni eo cultu, quo te adorant Sancti omnes in cælis, & omnes justi in terris.

3tio. Actus Gratiarum actionis. Gratias ago bonitati tuæ, pro omnibus beneficiis, in genere, & in particulari mihi impensis, specialiter autem pro eo, quod me creasti, pretioso sangvine tuo redemisti, ad Fidem Catholicam vocasti, à multis malis præservasti, maximè autem quod me impunem ad agendam pænitentiam, usque ad hoc momentum patienter expectasti.

4to. Actus Amoris: Diligo te o! Deus, & infinitum bonum meum, ex toto corde, ex tota mente, & totis viribus meis.

5to. Actus doloris; Et quia huc usque ingratus fui, summopere doleo de omnibus offensis, negligentiis meis ob amorem tui.

6to. Actus. Detestationis. Detestor omnia peccata mea, defectus, & imperfectiones hucus-

que commissas cum firmo proposito: amplius non peccandi.

7mo. *Actus Oblationis*: Offero tibi Domine Deus meus summa propensione cordis mei, ad majorem gloriam tuam, quidquid cogitabo, loquar, patiar & agam, eaque unita esse volo, Vitæ & Passioni Dilectissimi Filij Tui.

Offero hæc omnia in satisfactionem peccatorum meorum, offero pro incolumitate S. Romanæ Ecclesiæ ejusque capite visibili Summo Pontifice, offero pro peccatorum conversione. Hæreticorum extirpatione, offero pro agonizantibus omnibusque fidelibus defunctis.

8vo. *Actus Petitionis*: Postulo humiliter bene meditandi gratiam.

9no. *Actus Invocationis*. Invoco auxilium Vestrû. Sanctissima Virgo Maria, Omnes Sancti Patroni, specialiter tuum o Sancte Angele custos.

A C T U S

Post Meditationem.

GRatiarum *actionis*: Gratias tibi ago o Deus infinitæ bonitatis pro doctrina in hac Meditatione recepta.

Actus doloris. Doleo summopere quod me non gesserim secundum hoc lumen modo communicatum.

Actus Precationis: Ne reminiscaris Domine peccata mea, confiteor me esse indignum omni gratiâ tuâ, vita æterna & temporali, dignum autem æterno supplicio.

Actus Propositi: Propono firmiter non amplius peccare, vitia emendare, & abhinc in amore tuo, charitate proximi debita, cæterarumq; virtutum exercitio propter amorem tui me conservare,

VENCESLAUS HIERONYMUS
de Boguſławice
SIERAKOWSKI
Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Archiepiſcopus Metropolitanus Leopolienſis.

Librum, cui Titulus: *Meditationes Super Veritates Chriſtianas & Eccleſiaſticas* &c. de Gallico idiomate in Latinum traductum; in quatuor Partes diviſum, cùm nihil contrarium Fidei Catholicæ & bonis moribus contineat, quinimò ad pietatem, & Virtutes, ad perfectionem vitæ & Amorem erga Deum, omnes Fideles atque Sacerdotes ad quævis Eccleſiaſtica munia ſanctè obeunda alliciat. Typis reimprimi facultatem damus.

In quorum fidem Datum in Palatiò Noſtro Archiepiſcopali Dunajovienſi, hac Die Duodecima Menſis Januarii. Anno Domini Milleſimo Septingeſimo Septuageſimo.

VENCESLAUS Archiepiſcopus

(L.S.)



DOMINICA PRIMA ADVENTUS

Hoc ſcientes tempus, quia hora eſt nos de ſomno ſurgere. Rom. 13. 11.

DE USU TEMPORIS.

1. Pauci ſunt, qui bene utantur tempore.
2. Qua ratione utendum tempore ſit.

PUNCTUM I. NEſcio qua utiliore meditatione, huic ſacroſancto tempori Adventus, initium facere valeam, quam ex verbis apoſtoli primis hodiernæ epiſtolæ. Invitat nos Apoſtolus, ut à ſomno nos ipſos excitemus, & *tempus* illud à Deo nobis, ad ſalutem noſtram, conceſſum, melius deinceps impendamus. Tempus hoc *urget* nos, dicit Apoſtolus, & tamen illud perdimus, negligimus, & tam facile prodigimus, quam primum in poteſtatem noſtram venit. Tempus hoc *breve* eſt, & tamen nos adeo premit, ita perturbat, & incommodum nobis eſt, ut volupe nobis ſit, ſi cito illud perdere, & inutiliter tranſigere valeamus. Bone Deus! ita abu-

ti re omnium pretiosissima, quam in mundo habemus, an non cœcitas maxima! exclamat. S. Bernardus; *volat tempus irremedabile, nec advertit insipiens,* quid amittat.

Examina te ipsum, quomodo tu ipse utaris tempore; si hoc examen rite, ut oportet, instituas, invenies non dies tantum, sed septimanas, imo annos deperditos! sed abstrahendo de præterito. Quomodo uteris hac ipsa die tibi à Deo concessa, ad agendam pænitentiam, ad implorandam Spiritus gratiam, & ad aquirendam gloriam? an non illam perdis? an non illam consumis, in conviviis, in lusu, detractionibus, conversatione, & visitationibus inutilibus, imo forte in actionibus magis criminosis & prohibitis? *libet confabulari ajunt,* pergit S. Bernardus, *donec hora prætereat.* O! *donec hora prætereat* O! *donec prætereat tempus! donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pænitentiam, ad obtinendam veniam, ad aquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris indulget.* Ah! quot sunt sæculares & clerici in inferno, ob tempus male deperditum, qui aliud non optant, quam horas aliquot quas tu pariter male perdis, ad agendam pænitentiam? sed eheu! porta misericordiæ Dei ipsis, qui forte minora & pauciora peccata commiserunt, quam tu, clausa est; *dimidium peccatorum tuorum non peccavit Samaria, Soror tua.* Ezech. 16. 51. Expergiscere igitur de somno tuo, & monitum Apostoli ad utilitatem tuam trahe; *hora est jam nos de somno*

mno surgere. Et, ut damnum hoc, ex deperdito tempore, repares.

PUNCTUM II. Considera qualiter eo uti debeas? attende, cum S. Bernardo, *ad præteritum*; *ad præsens*, *ad futurum*, & secundum hanc triplicem differentiam temporis, occupationes & negotia tua ordinare stude.

Quantum ad *præteritum*, revoca ad mentem, & plange ex toto corde annos juventutis tuæ, quos male transegisti in oblivione Dei & salutis tuæ. Excita in te vivum dolorem, quod tam male tunc vixeris, & dic cum Propheta Isaia c. 38. 15. *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Felix anima quæ tali dolore compungitur! meretur sane, cui Deus lachrymas abstergat, dolorem moderetur, & ad cor illius suaviter loquatur, se restituturum annos deperditos, ac dæmoni, mundo, & peccato consecratos; *reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo* Joël 2. 25.

Quantum ad *præsens*, illud aliter figere, seu tenere non potes, nisi te Deo soli affigas, illi inhæreas, idque solum facias, quod ipse à te petit; quod nobis S. Joannes 1. Ep. 2. 17. insinuat, dum ait, *Mundus transit, & concupiscentia ejus, sed qui facit voluntatem domini, manet in æternum.* Applica igitur & consumme hoc tempus tuum, in iis, quæ tuæ sunt vocationis, & ita congregabis dies plenos, qui les esse debent Electorum. *Dies pleni invenientur in eis* Psal. 72. 10.

Quantum ad *futurum*, si hoc tibi Deus in-

dulgeat, Deo gratias propterea dicere, & ità impendere illud debes, ut nihil bonorum operum statui & vocationi tuæ convenientium omittas. *Non defraudieris à die bono, & particulà boni doni non te prætereat.* Eccl. 14. 14.

Quia autem hæc meditatio pro norma sequentium meditationum tibi servire debet, propositum fac, ita bene ordinandi, & inserendi tempus tuum in oratione, studio, & aliis actibus seu functionibus status tui, ut nullum sit vacuum, sed omnia momenta Dei gloriæ deserviant, juxta illud, quod quotidie in officio divino recitas; *Ordinatione tuà perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Psalm. 118.

Facto hoc bono proposito præcipuus fructus meditationis tuæ esse debet, ut te bene ad missam, vel Communionem præpares. Ad hunc finem Christum, quem brevi post sumpturus es in S. Communione, considera, eum nec unicum momentum vitæ suæ perdidisse, quin illud tuæ saluti, bono tuo, impenderet; ita neque tu aliquod negligere debes, in quo non cum ipso uniaris. Roga illum, dum eum intra te possides; ut quemadmodum per hoc sanctissimum Sacramentum, vitam suam nobis dedit, ita etiam doceat te, non aliter vivere, nisi ipsi, & propter ipsum. Hoc unicum medium est, ut omne tempus vitæ tuæ sancte transigas: perdis, quidquid alio applicas, vel alibi consummis, prout ipse hoc testatus est in evangelio: *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit.* Luc. 11. 23. FE-

FERIA SECUNDA.

Nunc enim propior est nostra salus, quàm cum credidimus. Rom. 13. 11.

DE PROGRESSU IN VIRTUTE.

1. Obligatio progrediendi.
2. Quam parùm proficiamus.

PUNCTUM I. POst audita verba magni hujus Apostoli, *hora est jam nos de somno surgere*, quæ à Chrysostomo, *tuba evangelica*, appellantur; consideremus etiam motiva, quæ affert, ad excitandum nos à torpore nostro, & ad progrediendum & proficiendum in virtute. Non licet nobis ultra dormire, dicit, quia salus nostra propior modo est, quam unquam fuerit, & quia ad finem cursus nostri venimus, satis est; imò plus quam satis tempus nostrum impendimus stultitiis, & rebus, statui nostro, & Christiano, & Ecclesiastico, prorsus indignis. Nimium temporis hucusque dedimus vitæ sensuali; vivamus in posterum conformiter fidei nostræ; incipiamus laborare pro salute nostra, prò gloria & voluntate Dei, ad sanctificandas animas, modico isto tempore, quod nobis superest; & ille, qui venturus est, dabit cuilibet secundum fidem & opera sua. *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus*. Quo magis princeps aliquis civitati appropinquat, eò paratiores sunt subditi. Quo vicinior est termino suo viator, eo magis accelerat gressus suos; quò magis in annis, eò magis in virtute crescere & proficere debemus.

 mus.

mus. *Ecce sponsus venit*, ait evangelium, teneamus igitur paratas, & accensas lampades nostras, & eamus illi in occursum, disponamus nos per exercitium bonorum operum, & sanctitatem vitæ nostræ, ut comparere coram eo possimus; ne & nobis idipsum dicatur, quod fatuis virginibus Matth. 25. *nescio vos*. Terribilia plane verba! ait S. Hieronymus, quæ suffecerunt ad puniendam negligentiam istarum, suffectura etiam, ut puniant nostram; *sufficit virginibus pro pœna, quod ignorantur à sponso*, Hier. in Matth. ibid.

O Domine! fac, ut lampades nostræ semper ardeant, sicut arserunt lampades virginum prudentum. Fac, ut hodie intelligamus, & capiamus, si hucusque non intelleximus, illud maximi momenti axioma & principium vitæ spiritualis à SS. PP. traditum, quod incessanter progredi debeamus, ni velimus deficere; *in via vitæ, non progredi, regredi est* Bernard. serm. 2. in purif. Bone DEUS! quam pauci sunt è Christianis, imo etiam Ecclesiasticis, qui hoc principio bene utuntur! quam multos è contra reperire est, qui gradum in medio cursu sistunt! qui ædificium perfectionis incipiunt, & non consummant, qui Spiritu incipiunt, & in carne finiunt! reflectamus nos ipsos supra hoc, an non id ipsum in nobis reprehendi possit, quod Paulus Galatis suis exprobravit; *Sic stulti estis, ut, cum spiritu cæperitis, nunc carne consummemini* Gall. 3. 3. Et ut melius desuper infermemur

PUN-

PUNCTUM II. Advertamus obſecro, quam pauci ſint, qui progreſsum in virtùte faciunt; vel enim vivunt in ſeminariis, ſeu in ſchola pietatis, & virtutum? forte nec ſomniant tales de progreſsu; putant, ſatis eſse in loco ſancto habitare, ut ſancti ſint, parum hoc attendentes, *non locum ſanctificare homines, ſed homines locum*, ut ait *S.* Bernardus Serm. 3. de diverſ. Vel vivunt inter ſæculares? & hi vivunt ut ſæculares, imo, plus dico, & verum dico: multi ex ſæcularibus, ordinatius, circumſpectius, & magis ex virtute vivunt, quam multi Eccleſiaſticorum. Putant tales ſe obligationi ſuæ ſatisfacere, ſi Breviarium recitent, Miſsam quotidie, ſed valde deproperanter, & abſque devotione legant, dum interim nullum ſtudium, nullum curam adhibent emendandi, & corrigendi proprium ac naturale genium, malos contractos habitus; domandi paſſiones, ſuperbiæ, avaritiæ, invidiæ, iræ, intemperantiæ &c.

Quam turpiter ſibi ipſi illudunt hi tales, qui ex virtute ſe agere poſse putant abſque certamine? an non tu ipſe hoc errore teneris? ſi unus ex illis es, bene tibi applicare potes parabolam illius patrisfamilias, qui quærens fructum arboris, quam in vinea ſua plantavit, & non inveniens, poſt tres annos illam ſuccidendam & eradicandam apud ſe ſtatuit, indignam judicans, quæ ſine fructu terram occuparet; *ecce anni tres ſunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio; ſuccide ergo*

go *illam; ut quid terram occupat?* Luc. 13. 7. si ad hasce minas non contremiscis, fides tua omnino languet; ubi esses tu, si in singulas horas rationem fructus à te peteret Dominus, prout jure facere posset, quandocunque illi placeret? quem fructum illi proferre valeres, à tempore illo, quo versaris in seminario, vel hoc beneficio gaudes? post viginti vel triginta annos à plantatione tua in Ecclesia sua, quem fructum tulisti? an non idem de te dicere posset, quod apud Isajam; *quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Isa: 5. 4.

Propone igitur in virtute progredi. *Vera virtus finem nescit,* ait S. Bernardus Epist. 25. *Tempore non clauditur; nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, satis est, sed semper esurit, sititque justitiam, ita, ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet. Non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui.* Roga Deum Virtutum, quem hodie sumpturus es, ut tibi virtutes illas concedat, quibus cares. *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam* Ps. 83. 9.

FERIA TERTIA.

Abjiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis, Rom 13. 12.

DE PROMISSIS IN BAPTISMO FACTIS,

1. Quæ-

1. Quænam sint.
2. Et quam sollicite renovanda?


PUNCTUM I. Apostolus aliud hic non præscribit, quam quod ipsi in baptismo promisimus. Vult, ut renuntiemus operibus tenebrarum, & assummamus arma lucis: an non ad hoc ipsum nos obligavimus, dum gratiam baptismi recepimus, & in sortem filiorum Dei adscripti fuimus? renuntiavimus sathanæ, pompæ, & operibus ejus, & promisimus, Deo nos daturos ex integro & pro semper. O quam pulchra promissa! sed quam male servantur! si renuntiavimus sathanæ, qui est princeps tenebrarum, debemus secundum doctrinam apostoli induere arma lucis, quibus illum expugnemus; & sumere scutum fidei, ut resistere possimus telis ignitis maligni hujus spiritus; *cui resistite fortes in fide.* 1. Petri 5. 9. Facimus hoc? Si pompæ diabolicæ, id est, principiis & vanitatibus hujus sæculi renuntiavimus, non debemus deinceps aliam habere regulam, quam Evangelium. *Sanctum Evangelium*, ait S. Augustinus serm. 25. alias de divers. 19. *lex testamenti novi.* Sequimurne hanc regulam? Si operibus sathanæ renuntiavimus, id est, omnibus actibus peccaminosis, de quibus Christus ipse testatur, quod, qui talia agit, odit lucem: *qui male agit, odit lucem*, Jo. 3. 20. Non deberemus ulli amplius vitio subjacere, Renuntiamusne omnibus hisce operibus? *Ambulamusne sicut in die honeste?* prout loquitur

tur Apostolus, *non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis.* Necdum sufficit. Renuntiavimusne certis quibusdam peccatis spiritualibus, quæ à superbia originem trahunt, & satis frequenter inter Christianos reperiuntur? *non in contentione & æmulatione.* Ad omnia ista abrenuntianda obligavimus nos in baptismo. Credis hoc? elice proinde actum fidei circa hanc veritatem, prædica hanc doctrinam sœpius populo tuo, ut sciant, & agnoscant, baptismum, quem receperunt esse secundœ vitœ, ac purioris vivendi rationis, pactum cum Deo initum, ut ait S. Gregorius Nazianzenus.

PUNCTUM II. Vidisti modo, quæ in baptismo promiseris, ad quæ proinde sis obligatus; vide nunc etiam, an fidelis hucusque fueris in his servandis? invenies forte, si te desuper examinare velis, quod promissis tuis sœpius non steteris, non solum à tempore, quo Christianus, sed etiam Ecclesiasticus es, & in statu clericali vivis, qualis confusio, si toties fidem, non hominibus, sed ipsi Deo, datam fregisti! erubesce, & detestare perfidiam, & infidelitatem tuam! ora patrem misericordiarum, ut tibi contemptum hunc sanctæ legis suœ dimittat, quam inviolabiliter ad mortem usque observare debueras. Dole ex intimo cordis tui, quod toties fœdaveris vestem tuam candidam, quam sine macula, & ulla sorde portare & afferre debueras ante tribunal Jesu Christi. Sollicitus esto, ut vota & sacra hæc promissa sæpius renoves,

noves, quæ in facie Ecclesiæ emisisti, & tantopere, imo eo magis illis obligaris, quo ea, ope aliorum, & alieno ore, fecisti. Ratifica igitur, quæ Patrini tui nomine tuo promisêre, sed ex corde, & in effectu; *renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus; non tantum sono linguæ, sed & actu vitæ; nec tantum labiis sonantibus, sed operibus, pronuntiantibus,* ait S. Aug. de Symb. ad Catech. Etiam atque etiam ac frequenter hæc cogita in die anniversario baptismi, vel ordinationis tuæ, vel quando aliis hoc Sacramentum administras; doce hanc ipsam praxim etiam pœnitentes tuos; dic illis id ipsum, quod S. Ambrosius ajebat l. 2. de Sacram. c. 2. *Memor esto sermonis tui, & nunquam excidat series cautionis tuæ.*

Ut consilium ac propositum tam bonum exequaris, ita alloquere Jesum post S. Communionem, & ora: Ecce coram te Domine ante altare tuum constitutus propono, me omnibus diebus vitæ gratum tibi extiturum pro gratia baptismi; identidem renovaturum, quæ tibi promisi, eaque ad mortem usque inviolabiliter observaturum; nec non festivo gaudio celebraturum anniversarium diem hunc, quo à servitute dœmonis ereptus, transivi in libertatem Filiorum Dei. *Miserationum Domini recordabor.* Isai. 63. 7.



FERIA QUARTA.

Induimini Dominum Jesum Christum. *Rom.* 13. 14.

DE

DE SANCTITATE ECCLESIASTICORUM

Induere debent Dominum Jesum. 1. Intus. 2. Et foris.

PUNCTUM I. NOn sufficit Apostolo nos admonuisse, ut induamur arma lucis; id est, ut oridinarias tantum practicemus virtutes, sed insuper vult, ut induamus Dominum Jesum, & desideria carnalia ex toto spernamus, quod virtutem non quamlibet seu ordinariam in Ecclesiasticis requiri, indicat; nam quid deesse sibi patiatur, qui totus coopertus Christo esse debet, ita ut intus, & extra, Christum repræsentet? hoc ipsum autem est, quod per allegata verba juxta interpretationem S. Joannis Chrysostomi, in hunc locum, dicere vult; *undique nos illo circumdari jubet.*

Vestiti ergo esse debemus Christo, primo, intus in animo, id est, eodem Spiritu, iisdem principiis, iisdem cum eo inclinationibus agitari, & duci, ut adeo intellectus noster veritates illius sibi persuasas habeat; & voluntas nostra amore illius ardeat. *Vult enim, animam nostram illi donum esse,* pergit ulterius Chrysostomus ibid. *illoque nos veluti vestimento circumdari, ut is omnia nobis sit, sive interna, sive externa respicias: est enim plenitudo omnia in omnibus adimplentis.* Ah Domine, suntne taliter vestiti ministri tui, sacris altaribus destinati? patetne ex eorum modo vivendi, quod tu illis, instar vestimenti, sis? videmusne in illis tuam patientiam, tuam mansvetudinem,

tuam

tuam puritatem, tuam humilitatem &c. possuntne & illi dicere cum apostolo, vivit Christus in me, & ego vivo in ipso, & pro ipso? nihil faciunt? nihil dicunt? nil cogitant aliud, nisi quod ab ipso sit? quod ad eum ducat? quod gloriam illius spectet? *vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus?* Galat. 2. 20. Examina temetipsum coram Deo, qui omnia videt, quæ intra te fiunt, an Christum indueris? an vere habitet in corde tuo? *an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est?* 2. Cor. 13. Si ita est, Deum lauda, & allabora, ut eum non solum intus, sed & foris & extra induere merearis.

PUNCTUM II. Christum Dominum etiam foris induisse, aliud non est, quam imitari ipsius sanctitatem externam, modestiam, mortificationem, zelum, pœnitentiam, & mores plane divinos, quos in vita sua foris ostendit: si ergo Ecclesiasticus Christum induisse videri velit, debet, quemadmodum ille, ita & ipse ambulare, & alios docere; uno verbo, modum agendi illius in omnibus imitari, & sequi debet. An hoc ipsum facis? estne Jesus Christus, exemplar tuum, & vestis tua? portasne illum tecum ad cathedram, ad mensam, ad conversationem &c. reportasne illum denuo, quin aliquid de interna recollectione amittas, quam tenere debet, qui Christo est vestitus; quæque reddere est, ut ita dicam, visibilem Christum toti mundo? *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes,*

rentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris 2. Cor. 4. 10. Si taliter vestitus esses Christo Jesu, quod traheres ad Christum? cum veritate dicere posses illud Pauli, *Christi bonus odor sumus Deo* 2. Cor. 2. 15. Roga Deum pro hac gratia, ut taliter Christum induere, & ita vestitus incedere valeas, de quo S. Gregorius Nyssenus, Orat. 40. quod sit *magna sacerdotum tunica*. Stude Jesum addiscere, & exemplum virtutum suarum continuo præ oculis habere. Ad altare accedens illum repræsentas, ut minister sacrificii, quia per te, & pro te, ipse se offert Patri suo, ora illum, ut te ita vestire dignetur virtutibus suis, quemadmodum vestivit te sacerdotio suo. Quotidie illum in manibus tenes, an non æquum est, ut illum etiam in corde habeas, & talis sit sanctitas tua, quæ eluceat ex omnibus actibus tuis, ut populus eam intuens, Deum benedicat, & laudet, qui tales Ecclesiæ suæ dedit ministros; *Ut qui videt ministrum altaris, congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicet, & Dominum veneretur, qui tales servulos habeat.* Ambros. l. 1. offic. c. 50.

FERIA QUINTA

Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi. Luc. 21. v. 25. 26.

DE

DE EXTREMO JUDICIO.

1. Timor judicii. 2. Utilitas hujus timoris.

PUNCTUM I. EVangelium hujus Dominicæ totum eſt de judicio extremo; hoc modo incipit, & terminat Eccleſia annum ſuum, ut nos doceat, pariter omnes actiones noſtras totius vitæ, ita ordiri & finire, & ut nunquam nobis è memoria excidat hoc judicium. Quia autem principalis fructus, & utilitas hujus meditationis primario in eo conſiſtit, ut excitetur in nobis timor ſalutaris, qui eſt initium & finis ſapientiæ, ideo proponit nobis ob oculos ſigna illa terribilia, quæ diem hunc præcedent, nimirum ſolem obſcuratum, lunam eclypſatam, virtutes cælorum commotas, mare horribiliter fremens, & exæſtuans, univerſalem naturæ conſternationem, deſcenſum ſupremi Judicis, in conſortio Angelorum, plenum gloria & majeſtate, ut definitivam de homine pro tota æternitate ferat ſententiam. En grandem materiam præſentis meditationis, quæ tandem deſinere debet in timorem & tremorem ſalutarem, *Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.*

Neſcierunt ſancti, ad conſervandum ſpiritum ſuum elongare à ſe iſta, & ſe tantum iis occupare, quæ conſolationis eſsent, & ſvavia, ſed ex eorum numero ſe quoque eſse putabant, quibus talibus terroribus opus eſset, & ideo iiſdem, pro ſe, & pro aliis uſi ſunt utiliter. Imitemur illos, & ſit etiam noſtra me-

dita-

ditatio & cogitatio frequens de judiciis divinis, ita ut nunquam elongentur etiam à spiritu nostro: *omnia judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli à me* Psal. 17. 23. Hisce frequenter occuparunt se, Hieronymi, Nazianzeni, Ephremes, Bernardi, Vincentii Ferrerii, & tot alii, qui tamen adeo sancte vivebant; contremuerunt ad memoriam hujus judicii, & ego miserabilis peccator de illo non cogito, non me movet, non me terret! miserere mei, & hujus duritiæ cordis mei, Deus! *confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*. Psal. 118. 120. Postquam hanc à Deo gratiam postulaveris.

PUNCTUM II. Considera utilitatem hujus timoris. Necessarius hic est omnibus justis & peccatoribus; justis, ut eos conservet in humilitate, & in virtutibus progredi faciat: *& judicia tua adjuvabunt me*. Psal. 118. 175. Peccatoribus, ut excitentur à torpore suo, passiones deponant, & destruant, &c. Si enim terribilis fragor tubæ hujus, mortuos omnes ad judicium citantis, eos à lethargo mortali suscitat, nescio, quis alius eos convertat, siquidem interitum peccatoris ex eo provenire nos docent prophetæ, quod neque Deum, neque judicia ejus ante oculos habeant; *non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore; auferuntur judicia tua à facie ejus*. Psal. 9. 26. Sacerdotes Dei! persuasum vobis sit certo, quod aliter, quam per timo-
rem

rem judicii divini, peccatores ad frugem haud reducere possitis; igitur sæpius hunc populo vestro inculcate; vos enim estis, qui in locum, & labores apostolorum intrastis, quibus mandavit Dominus, ut adventum hunc suum annunciarent mundo, ut convertat se, & agat pœnitentiam; Act. 10. 2. motivum hoc efficacissimum non solum in cathedra, sed & in tribunali pœnitentiæ sæpius adducite, & cum S. Gregorio magno hom. 2. in evang. peccatores ita urgete; *illum ergo diem fratres charissimi, tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata, autem fletibus punite; adventum namque æterni judicis tanto securiores quandoque videbitis, quanto nunc districtionem illius timendo prævenitis.* O si ita & cum tali emphasi de hac materia, cum Sancto Paulo ad peccatores verba faceretis! haud dubium, quin vel maximos peccatores tremore concuteretis; prout hic Apostolus terruit Felicem de talibus cum eo loquens; Act. 24. 25. *disputante autem illo de justitia & castitate & judicio, tremefactus Felix.*

Fac Domine, ut Pastores, Prædicatores, Confessarii, ac Ministrii tui omnes hoc timore configantur, ut similem in omnibus, qui curæ eorum commissi sunt, causare valeant; & ut omni possibili cura per sollicitudinem procurandi salutem proximi, propriam in tuto ponant. *Terror ille securitatem parit, territi enim prcavemus;*

præ-

præcaventes salvi erimus, dicit Augustinus in Psal. 146.

Quantum ad Missâm; contremisce coram judice tuo, & implora clementiam ejus, recordare in hunc finem, quisnam olim fueris? & quinam forte adhuc sis? *O Domine! nihil dignum in conspectu tuo egi, ideo deprecor majestatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam.* Adoro te ô Jesu! ut judicem meum; unica spes mea in infinita misericordia tua posita est. Appello à te irato, ad te placatum; *non sis mihi formidini, spes mea in die afflictionis.* Jerem. 17.

****

FERIA SEXTA.

Virtutes cælorum commovebuntur Luc. 21. 26.

In extremo Judicio mali Ecclesiastici.

1. Confusio. 2. Damnatio.

PUNCTUM I. VErba citata de commotione virtutum cælestium, literaliter sumpta, indicant futuram in extremo judicii die, generalem stellarum & constellationum confusionem; in sensu autem spirituali denotant, secundum S. Augustinum, Epist. 199. n. 39. edit. nov. horribilem persecutionem toti Ecclesiæ illo tempore instantem ac futuram; proinde, vel ipsorum sanctorum etiam virtutes commovendas; *stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum movebuntur; quoniam multi, qui gratia fulgere videbantur, persequentibus cedent, & cadent, & quidam fideles fortissimi turbabuntur.* Forte nos ipsi testes hujus ultimæ & crudelissimæ

ſimæ perſecutionis haud erimus; omnes tamen certo comparebimus hac ipſa die coram tribunali Chriſti Jeſu, quando cœli & terra tranſibunt. Si ergo omnia perire debent, qualis debet eſſe vitæ noſtræ ſanctitas, exclamat hic Petrus; 2. Ep. 3. 11. *cum igitur hæc omnia diſsolvenda ſint, quales oportet nos eſſe, in ſanctis converſationibus, & pietatibus?*

Qualis igitur pavor invadet quemlibet Chriſtianum, magis autem Eccleſiaſticum, qui immemor hujus magni diei vixit, & neque pietatem, de qua hic loquitur Apoſtolus, ſecum affert? quæ confuſio illius, qui male adeptus eſt officium ſuum, & totam vitam ſuam in abuſu miniſterii ſui conſumpſit, ubi ſecum tot ſacrilegia ad tremendum hoc judicium afferet, quot obtulit ſacrificia, & paſtoralia officia peregit? qualis confuſio, ſi inſuper ſibi imputata audiet, tot ſacrilegia, quorum cauſa fuit, ob negligentiam ſuam, vel præcipitatas abſolutiones? ſi tot homicidiorum ſpiritualium reus ibi agatur, quot animas ſuorum parochianorum, per ſcandalum illis datum, occidit; vel quibus ſaltem, quantum in ipſo fuit, occaſionem præbuit, quamvis illi, per gratiam Dei, non ſint lapſi; *non ſibi ergo blandiatur, quia ille non eſt mortuus, ſed homicida eſt*, ut ait S. Auguſtinus. En! qualis futura ſit confuſio ejuſmodi infeliciſſimi paſtoris, ſi ſe, ut homicidam animarum curæ ſuæ commiſsarum, tractari videat! ſi tot teſtes malæ vitæ ſuæ, contra ſe deponere audiat cœlum, terram, crea-

turas omnes, quibus tanquam instrumentis ad satisfaciendum passionibus suis, usus seu abusus fuit, possetne pati confusionem majorem? *revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eum.* Job. 2. 27.

Ah! aperi Domine oculos talis indigni ministri tui, quamdiu adhuc in statu est se corrigendi, ut miseriam suam agnoscat, ac emendet; fac, ut hodie adhuc corde vere pœnitente contrito, imploret misericordiam tuam, ne in hoc extremo judicio, à justissimo furore tuo, confundatur, ubi eum nulla alia exspectabit, aut residua erit pænitentia, nisi æterna, & simul infructuosa. *Tunc vero, cum venerit judicii tempus, correctionis locus non erit, sed tantum damnationis, & erit ibi pœnitentia sed infructuosa, quia sera; vis; ut sit fructuosa? non sit sera; hodie te corrige.* Verba sunt S. Augustini in Psal. 51. 8.

PUNCTUM II. Ad hanc confusionem mali Sacerdotis, sequetur ipsius damnatio; damnatio tanto terribilior clericis, quo magis suprà communem plebem elevati sunt, siquidem Spiritus S. asserit eos, qui alios judicaverunt, severissime suo tempore judicandos; *judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Sap 6. 6. Audiant hoc, qui in officio constituti sunt; & qui hæc legit, intelligat; *potentes potenter tormenta patientur,* ibid. vel minimi defectus illorum non subterfugient hoc judicium; *ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Psal. 98. Exprobrabit nempe illis hori-

horribilem illum contemptum gratiæ, verbi divini, & sacramentorum suorum; & quod inter tot beneficia, tamen in obstinatione sua permanserint, quibus tamen alii bene, & ad conversionē suam, si talia illis obtigisſent, usi fuisſent; *si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Math. 11. 21. Quid pro justificatione sua afferent? sed ad quam desperationem devenient, exclamat hic S. Ephrem. Serm. *de pat. & consumat. sæc.* quando contra se pronuntiari audient ultimam sententiam illam, quæ peccatores separabit à Christo, & ad infernum ablegabit æterno ibi igne cum dœmonibus excruciandos? *discidite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & Angelis ejus.* Quis exprimat dolorem illum, qui illos invadet, postquam audierint sanctos omnes, una voce, justissimo judici, vivorum & mortuorum, acclamantes, & comprobantes illorum condemnationem? insultabunt nimirum illis sancti, & unanimiter clamabunt, omnino juste in infernum præcipitatos omnes, qui obliti fuêre Dei sui; & separandos esse merito ab eo, qui se ab eodem in vita sua separârunt; *convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum* Psal. 9 18.

Præveniamus, fratres charissimi, adjungit hic S. Diaconus, & impediamus malum hoc, quam diu adhuc valemus; proijciamus nos in sinum misericordiæ divinæ, dum tempus habe-

mus, clamemus cum propheta, *miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*

Pro præparatione ad Missam; recurre ad Jesum Christum tanquam ad mediatorem tuum, qui solus potest pacem facere, & patri suo te reconciliare. Tanta cum devotione eum intrà te sume, ut, mediante gratia hujus primi sui Adventus in te, sperare valeas, te consecuturum misericordiam illius etiam in secundo: pro gratiarum actione roga, ut te non tractet pro meritis tuis; *non intres in judicium cum servo tuo, Domine! quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Psal. 42. 2.

* * * * * * * * * * * * * * *

DIE SABBATHI.

His autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Lucæ 21. 28

DE ULTIMO ADVENTU DOMINI.

1. Desiderare hunc debemus ad exemplum omnium sanctorum;
2. Quare tam pauci illum desiderent.

PUNCTUM I. Ut ut formidabile sit judicium extremum ob prodigia, quæ illud præcedent, & ob rigorosissimam, quam Judici supremo reddituri sunt omnes homines, rationem, nihilominus erit dies gaudii & consolationis, omnibus piis, ac bonis Christianis, siquidem

quidem Christus Jesus voluit, uthis fieri incipientibus, levarent discipuli sui capita sua, quoniam appropinquat redemptio illorum. Quemlibet quidem fidelem mors liberat; perfecta autem redemptio Ecclesiæ non erit, nisi in adventu glorioso Jesu Christi, qui omnes inimicos suos concludet in inferno, & electos suos perfecte liberabit, ut secum æternaliter regnent; ad hoc continuo suspirare debemus, ut adveniat Dominus, *exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni diei, & salvatoris nostri Jesu Christi.* Tit. 2. 13 Hoc desiderium in corde omnium Sanctorum erat, prout notavit S. Augustinus, nec esse ibi desinet, quousque veniat ille, qui est dilectus, & desideratus gentibus. Primis temporibus Ecclesiæ, quæ præcesserunt partum Virginis, sancti suspirabant, & expetebant incarnationem filii Dei, postquam autem Jesus in cœlum ascendit, ad illius gloriosum reditum anhelant, quando venturus est judicare vivos & mortuos. *Neque hoc Ecclesiæ desiderium ab initio usque in finem sæculi requievit aliquantum, nisi quamdiu hic cum discipulis in carne versatus est, ut totius corporis Christi in hac vita gementis vox convenienter intelligatur, defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi.*

Sacerdotes & pastores sunt nobilior pars, & portio corporis mystici Christi Jesu, quod gemit & suspirat super terram. Eorum proinde est ardentius suspirare post adventum Salvatoris;

eorum

eorum plus, quam aliorum intereſt, quia, dum eorum labores majores ſunt, illorum etiam remuneratio major, & manifeſtatio gloriæ eorum clarior & excellentior erit; ſed meminiſse debent; ait Gregorius Papa ſuper Ezech. hom. 22. quod ille ſolus adventum Domini deſiderare poſſit, cujus vita pura eſt; qui nihil in conſcientia ſua habet, ob quod adventum Domini, cuncta clare cernentis, timere debeat; *nemo enim adventum judicis diligit, niſi qui ſe habere cauſam in Judicio bonam novit*. Vide, utrum tua conſcientia tale tibi teſtimonium det? *ſermo cauſæ tuæ*, ait S. Aug. in Pſal. 147. *teſtimonium conſcientiæ tuæ*. Hinc.

PUNCTUM II. Conſidera, cur tam pauci vivant, in hac ſancta impatientia, glorioſi adventus Chriſti Jeſu? hoc ideo fit, ait S. Auguſtinus, quia pauci ſunt, qui Salvatorem amant, & qui in bono ſtatu, coram ipſo compárituri ſunt. Ex temetipſo hoc collige: ſi tibi diceretur, cras veniet Chriſtus, & mundum judicabit; quid ad hoc reſponderes? eſseſne in tali ſtatu, ut dicere audeas; ah utinam veniat! ô quam vehementer hoc opto! non enim alii, niſi qui ipſum amant, ita loquuntur; *qui enim dicunt multum amant*. ibid.

Amate igitur, ô ſacerdotes & miniſtri Dei Jeſum Chriſtum, quantum eum amare debetis; & ſic deſiderabitis diem manifeſtationis gloriæ ipſius; *ſi enim amamus Chriſtum, utique adventum ejus deſiderare debemus*, ibid. Nova

conci-

concipe desideria hujus secundi adventûs, quoties orationem Dominicam recitas; & cor tuum loquatur, quando ais, *adveniat regnum tuum*. O Jesu! quæ causa est, cur adventus tuus hic adeo desiderabilis, nihilominus à tam paucis desideratur? cur illum, qui ardentissimorum votorum in omnibus sanctis objectum fuit, nos tam indifferenter expectamus, vel omnino exhorrescimus? haud aliam causam inquirere debemus, quam corruptionem cordis nostri; corruptum est cor nostrum ab amore inordinato creaturarum, ex quo infinita peccata nascuntur, quibus vita nostra sordidatur. En Domine! quæ causa sit, cur adeo timeamus comparere coram te, & tibi reddere rationem! veni Domine Jesu in hoc cor meum, ut *medicus*, ut *salvator*, ut *Rex*; ut *medicus*, sana corruptionem illius, & depelle ex illo omnem deordinationem; ut *salvator*, erue me à captivitate dæmonis, & à servitute & mancipatu passionum mearum; ut *rex*, regna in illo solus, & supremum exerce in illud dominium. Deinceps, sine cessatione, post adventum tuum generalem suspirabimus, quia in eo statu vivere volumus, ut te Judicem & Deum nostrum absque confusione nostrâ suscipere valeamus; à te justo Judice, confidenter speramus, recepturos nos coronam justitiæ, quam promeriti fuerimus, dono gratiæ & misericordiæ tuæ; à te autem Deo nostro absumendum id omne in nobis, quidquid mortale est, ut totus & solus tu nobis sis.

Miss-

Missam nunquam celebra, quin Domino Jesu Christo amorem tuum, & desiderium adventus sui gloriosi testeris; *diligendus ergo est, & expectandus Domini adventus.* Aug. ep. 199. ad Hesich. Ante omnia autem roga illum, pro gratia quotidie ita vivendi, acsi ultimus foret dies, quo venturus esset ad te judicandum, ut absque timore sis, quando coram illo comparere debes; *sic vive, quasi hodie venturus sit, & non timebis, cum venerit.* Aug 265.

* * * * * * * * * * * * * * *

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Rom. 15.4.

DE LECTIONE S. SCRIPTURÆ.

1. Necessaria est Ecclesiasticis ad instructionem aliorum. 2 Et ad propriam sanctificationem.

PUNCTUM I. PRima verba hujus epistolæ docent nos, quòd in scriptura sacra quærere debeamus, & nostram & aliorum instructionem. Scriptura sacra, ajunt SS. PP. armamentarium est omnis generis armorum, ut defensive & offensive pugnare valeamus; apotheca est, omnis generis medicinas continens, unde sumere debemus remedia, si utiliter aliis mederi velimus; habesne tibi bene persuasam hanc veritatem, ut sibi persuasam habuit S. Augustinus? postquam consecratus fuit hic vir in presbyterum Ecclesiæ Hypponensis à Valerio

Epi-

Episcopo, injunctumque sibi habuit Officium prædicandi populo Dei verbum, frustraque diu, & omni conatu restitisset, neque medium ullum reperisset huic oneri se subducendi, litteras dedit adhunc suum Episcopum; ut concederet sibi longius spatium, quo seipsum prius funditus in S. scriptura, informare posset. Epist 21. alias 148. ad Valer. Erubescant ad hoc exemplum illi juvens clerici, qui se ultro ingerunt, & prædicare præsumunt, antequam S. scripturam legerint, in eaque se informaverint! noli eos imitari, sed sequere consilium *S.* Hieronymi, *sermo Presbyteri scripturarum lectione conditus sit*. Si conciones tuæ fundamentum suum in & ex scriptura non habent, loqueris de vitiis & virtutibus nonnisi superficialiter, & ut philosophus; id, quod dices, poter t auditoribus videri pulchre dictum, & bene excogitatum; mirabuntur forte eloquentiam tuam, cor autem eorum haud tanges, nec movebis, qui tamen lacrymas & gemitus, non autem laudes eorum, & applausus quærere; debebes; *docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur; lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint*. Scopus tuus esse debet, ut aliis horrorem de peccatis, & amorem pietatis & justitiæ ingeneres. Hoc autem opus non est in hominis potestate; Deus solus & verbum Dei hoc efficere possunt: lege ergo, meditare scripturam sacram; fac Deum, ex te & per te loqui, dum verbum Dei prædicas. Neque dicas, quod cura animarum tibi non incumbat, neque ex officio instruere habeas populum.

PUN-

PUNCTUM II. An non tibi cura & sollicitudo propriæ animæ tuœ incumbit? an non illi procurare debes remedia, & nutrimentum, quibus indiget? jam vero, ut docet S. Paulus, scriptura non solum utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, & ad ostendendam aliis viam justitiæ, sed insuper, *ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* 2. Tim. 3. 16. Tu es iste *homo Dei*, ibid. magis ad perfectionem obligatus, quam reliquum vulgus Christianorum; ergo legere debes sacram scripturam, siquidem sine hoc adjumento nunquam perfectus evades; ut Chrysostomus adnotavit; sed ne ab epistola hodierna recedamus, considera, quod hæ divinœ litterœ, à Deo nobis de cœlo missæ sint, ad nutriendam, & roborandam spem nostram, & adconsolandum non in vitæ hujus tædio, & miseriis exilii nostri, *ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus*. Quid est aliud scriptura, ait Gregorius Magnus Hom. 15. in Ezech. nisi litterœ omnipotentis Dei, quas ex bonitate & benignitate sua ad creaturas suas direxit! obsecro igitur te, ut verba creatoris tui singulis diebus legas, & mediteris; disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad œterna suspires, ut mens nostra ad cœlestia, majoribus desideriis accendatur.

O si clerici omnes, verba plane ignita sanctissimi hujus pontificis, bene perciperent, intelligerent haud dubie, quam necessaria ipsis sit lectio hœc divina! resolve igitur te ad lec-

ctio-

ctionem quotidianam unius capituli, cum omni devotione & reverentia huic libro divino debita.

Pro præparatione ad Missam, memento, te duabus rebus in hac vita indigere, nutrimento & lumine. Corpus Domini Jesu Christi nutrimentum est animæ; & verbum ipsius, lumen semitis tuis; absque his duobus non potes vivere; sunt enim quasi duæ mensæ, quas salvator in Ecclesia sua reliquit; una ex illis sacrum altare est, ubi proponitur nobis panis cœli, id est, sanctissimum corpus Domini; altera est mensa legis Divinæ, quæ doctrinam sanctam continet, qua in fide instruimur, & per quam secure introducimur intra velum, ubi sanctus sanctorum residet. O Jesu! fac, ut gustem dulcedinem Divinorum mysteriorum tuorum; fac insuper, ut illam etiam gustem, quæ abscondita est in scripturis sanctis, ut *sint* deinceps *castæ deliciæ meæ, scripturæ tuæ*. S. Aug. l. 11. conf. c. 2.

FERIA SECUNDA

Deus autem patientiæ & solatii, det vobis, idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi.
Rom. 15. 5. 6.

DE UNIONE, QUÆ INTER ECCLESIASTICOS ESSE DEBET.

1. Nihil dissolvere debet hanc unionem.
2. Quàm utilis illa sit Ecclesiæ, & proficua.

PUN-

PUNCTUM I. Ecce, quo zelo nos Apostolus ad hanc unionem adhortetur; ostendit nobis, maximam, quam Deo dare possimus, gloriam, in eo consistere, ut perfecte invicem unitissimus, quo eum uno ore laudemus. Ad hunc effectum nobis proponit perfectissimum exemplar, & motivum potentissimum, quod quis sibi imaginari possit, nimirum unionem illam, qua ipse Dominus Jesus dignatus est nobis uniri, membra nos sua constituendo, & ita etiam patri suo una secum nos uniendo. Quis possit post hæc recusare uniri fratribus suis? defectus & imperfectiones nostræ impedire non potuere Christum, quin nobiscum uniretur, neque facere possunt, ut aliquando se à nobis separet, nisi nos ipsi eo perveniamus, & gratiam ipsius perdamus; similiter defectus quidam, quos in fratribus nostris advertimus, haud sufficiens motivum esse debent, dispensandi in hac unione, quam cum ipsis habere, & invicem conservare debemus; excusare illos debemus, quemadmodum Christus nostros excusavit errores; sufferre debemus, in fratribus nostris, quidquid Deus in illis sustinet, & eousque cum illis uniti esse debemus quamdiu spes est, & apparet eos unitos esse Deo. Quando etiam ipsi per peccatum separati sumus à Deo, ille se non totaliter à nobis separat; manet adhuc aliqua ratione nobiscum, quamdiu in mundo vivimus, per suam gratiam, & beneficia, quibus incessanter nos allicit, ut ad unionem cum ipso redeamus;

pari-

pariter si in fratribus nostris tale quid contingeret, per quod à Deo separarentur visibiliter, non tamen scindere debemus ex toto unionem cum illis; non participemus quidem cum illis in peccato, sed unionem fraternam cum ipsis teneamus, quo eos, si possibile est, quamprimum cum Deo iterum uniamus; exemplum hoc nobis dedit Dominus, quod plane sequi oportet; *suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei* ibid. v 7.

Pudeat ergo Christianos & Clericos, ac damnationem timeant, qui ob minimam sibi illatam à fratribus injuriam, ansam & prætextum sumunt diffidendi ab ipsis, qui ob levissimum contemptum se offensos putant, & nonnisi difficulter reconciliationem ineunt; qui, quidquid ipsis in proximo displicet, statim condemnant, & ubique propalant, quæ à fratribus male fiunt. An non simili defectu laboras? si ita est, veniam à Deo roga, & majori deinceps sollicitudine unionem & pacem cum fratribus conservare stude, prout alibi monet Apostolus, *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et ut in hoc proposito bono firmeris.

PUNCTUM II. Considera, quod nihil utilius & salubrius accidere possit Ecclesiæ, quam hæc unio filiorum suorum maxime sacrorum ministrorum; huic unioni, quæ tam perfecte florebat inter primos Christianos, debet Ecclesia conversionem gentium. Poterant equidem infideles & pagani resistere prædicationi, imo vel

ipsis

Ipsis miraculis, quæ fieri videbant, non tamen charitati, qua fideles intime secum uniebantur, adeo ut pro invicem mori parati essent; *vide*, inquiunt, *ut se invicem diligant, & ut pro alterutro mori sint parati*. Huic unioni etiamnum debet progressum suum, prædicatum, per Apostolicos ministros, Evangelium Dei; quantum boni causat in diœcesi sua Episcopus, si in pace cum suis subordinatis pastoribus animarum vivit? si talem se illis exhibeat, qualem se Paulus erga Titum præstitit? *dilecto filio, secundum communem fidem, gratia & pax à Deo Patre & Christo Jesu, salvatore nostro; hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas*, ad Tit. c. 1. Si etiam hi, ex parte sua veram submissionem & reverentiam, quam debent, Episcopo suo exhibeant? quantum boni præstare valet communitas illius, in qua omnes laborant, secûndum mensuram talentorum suorum, absque invidia & emulatione vel zelo malo? si pluribus talentis ditati, non spernant illos, qui minoribus ditati sunt? qualis benedictio, qui fructus, in illa parochia sperandus, ubi parochus, vicarius, & alii subordinati, unanimiter concurrûnt, ad curandâs & sanctificandas animas; eaque communi labore ordinant, quæ ordinanda sunt? quanta fidelium ædificatio, si videant Ecclesiasticos omnes in Christo Jesu unitos, non propriam gloriam, sed utilitatem publicam & bonum commune Ecclesiæ quærere?

O Domine, da nobis, quæso, hanc unionem

san-

sanctam, quam nobis promeritus es, quamque nobis mundus eripere vult; *ut sint consummati in unum.* Hanc à te petimus, ô bone Deus, pro omnibus omnino Christianis singulariter autem pro singulis ministris Ecclesiæ tuæ, fac, ut simus *eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, nihil per inanē gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.*

Accedamus, in & cum hac dispositione ad altare Dei, memores nos recepturos sacramentum unitatis, quod facit, ut unum simus cum fratribus in Christo Jesu, qui nobis omnibus hoc Divinum nutrimentum dat, & aliud non est, nisi ipsemet; *unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* 1. Cor. 10. *O sacramentum pietatis! ô signum unitatis! ô vinculum charitatis.* Aug. tr. 27. in Joân.

FERIA TERTIA.

Deus autem spei repleat vos omni gaudio, pace in credendo, ut abundetis in spe, & virtute Spiritus S. Rom. 15. 13.

DE SPE.

1. Hæc virtus nos sustentare & animare deberet.
2. Pauci illam admodum curant.

PUNCTUM II. GRatias Deo agamus, qui dignatur esse magnum objectū, & Deus spei nostræ, dum nobis promisit, nos eum in cœlo æternaliter possessuros, si ei, hic in terris positi, fideliter servierimus. O quam magna est

fors

sors & felicitas nostra, qui spem nostram, usque ad possessionem Dei ipsius elevare & extendere valemus, ut adeo exspectatio ista merito cor illius, qui ex fide vivit, omni gaudio replere debeat; *Deus spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo.* Frequenter actus hujus divinæ virtutis elice; medium hoc erit, ut mala vitæ hujus patienter feras, prout alibi nos docet Apostolus; *spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Rom. 12. Nam, si vita hæc instar maris est, & anima nostra, navim à fluctibus agitatam, repræsentat, spes, quam de felici æternitate habemus, promissisque Dei, qui mentiri non potest, innititur, instar anchoræ nobis sit, quæ navim animæ nostræ firmet contra omnem procellam, & vim fluctuum, quibus expositi sumus; *quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Hebr. 6. 19. Si ergo virtus ista in nobis vivit, nil esse debet, quod nos evertere possit, neque venti tentationum, neque tempestates afflictionum, utut terribiles sint. Ah! si spes rerum terrenarum, quæ est valde incerta, mercatorem sustentat, in periculis negotiationis, & mercaturæ suæ; militem in laboribus & periculis armorum; operarios in difficillimis laboribus; si spes ista eos ad omnem laborem animat, quid non possit spes certissima, quam nos habemus possidendi *Deum* in cœlo, quod est terra viventium? quid non, dico, possit in Christiano, in clerico, in parocho efficere? melius ista cogitantur, quam verbis exprimantur. Interim.

PUN-

PUNCTUM II. Fateri oportet, quod ſpes iſta bonorum ſupernorum parum nos moveat. Si præpotens dominus hujus mundi certis clericis promittat, ſe de eorum promotione cogitaturum, vel potius ſomniaturum, ſatis hoc ipſis eſt, ut ſe eidem inviolabiliter addicant, & quandoque etiam contra ſtatum, obligationem, & conſcientiam ſuam; nil tam vile & abjectum eſt, ad quod ſe non demittant, ad conſervandam bonam illius in ſe voluntatem, & negotia illius, etſi forte minus decentia, in ſe ſuſcipiant, quia credunt & ſperant, ut ipſi ajunt, fortunam ſuam inde pendere. Deus illis promittit bona ſolida, & æterna, illi tamen frigidos & negligentes ei ſe exhibent; Deus proponit nobis cælum, ait S. Chriſoſtomus, nos autem oculos & deſideria noſtra in terra deſigimus; regnum cœlorum illius eſt, qui illud acquirere vult & laborat; nos autem toti ſumus in acquirendis miſerabilibus bonis hujus mundi. *Immortalis aperitur vita, & nos circa ligna, lapides, villasque conſumimur!* Chriſoſt. Hom. 10. in c. 4. 2. ad Tim. Deum derelinquimus, & currimus poſt mendacium; negligimus Deum, & in creaturis obdormiſcimus, id eſt, in eo requiem quærimus, ubi eam invenire nequimus, finem illum glorioſum, ad quem deſtinati ſumus, haud conſideramus, vel non aliter, niſi à longe, & tanquam rem peregrinam, quæ ad nos non attineret.

Quando Domine evigilabimus tandem, à

tremendo istó lethargo, in quo vivimus? quandó desistemus ab ista indifferentia nostra erga vitam æternam? quando è norma vitæ nostræ tandem elucebit, promissa tua nobis esse in æstimatione? tunc fiet hoc ô Domine, quando per gratiam tuam exacte legem tuam adimplebimus; quando per vitam sancte transactam, illam vitam merebimur, quæ finem non habebit.

Tota spes nostra fundata est in meritis Christi Jesu, quæ in sanctissimo Eucharistiæ sacramento inclusa reperiuntur; *adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio oportuno.* Hebr. 4. 16.



FERIA QUARTA.

Joannes, cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi; tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? *Matth.* 11 *v.* 2. 3.

DE PERSECUTIONIBUS

1. Ecclesiastici ordinarie persecutionem patiuntur
2. Quid tempore persecutionum eos facere oporteat.

PUNCTUM I. Minas, carcerem, vincula; en talia reportant! qui magnatibus hujus mundi veritatem prædicant. Prædicavit S. Joannes in aula Herodis: audacter principi huic in faciem dixit; *non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Marc. 6. 18. Exprobravit

vit illi inceſtuoſum commercium, & publicum exinde ortum ſcandalum, adeo exinde non profecit induratus hic princeps, ut potius præconem hunc veritatis, in obſcurum carcerem conjecerit; ſed quam glorioſum eſt præcurſori Meſſiæ cauſam Dei ſui impenſis propriæ vitæ & libertatis tueri, & propugnare? nolite igitur contriſtari fideles Dei miniſtri, ſi male vos mundus tractet; difficulter obligationibus miniſterii veſtri ſatisfacere poteritis, quin injuſtæ vobis perferendæ ſint perſecutiones. Quid pati neceſse erit ex parte dæmonis, ſi laboratis, ut debetis ad deſtructionem imperii ipſius, & ne regnet peccatum? quid perferre ex parte hominum, qui paſſionum ſuarum mancipia ſunt, ſi vitia ipſorum reprehenditis, & vitam arctam, quæ ducit ad cœlum, eos docetis? imo audeo dicere, quod & à propriis confratribus veſtris aliqua patienda vobis occurrent, qui præoccupati forte, veſtrum modum agendi non approbabunt; certi eſtote, ſi obligationi veſtræ ſatisfacitis, minime defuturum, quin mundus vos undequaque perſequatur. Paulus hoc dicit, 2. Tim. 3. 12. & quidem non ſolum clericis hoc prædicit, ſed generaliter omnibus Chriſtianis; *& omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*; & ideo nil aliud exſpectet, ait S. Leo ſerm. 9. de quadrag. qui pie vult vivere, niſi cruces & perſecutiones; *nunquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi nunquam deſit obſervantia pietatis; ſicut ergo totius eſt*

corporis, ita totius est temporis crucem ferre. Contremisce, si adhuc nihil pro nomine Jesu passus es, quia merito timere debes, an pie vivas in Christo, *vide, ne nondum ceperis in Christo pie vivere* ait S. Augustinus, in Psal. 55. *quia quam primum ei placere cœperis, incipies etiam persecutionem pati; in angustias redigeris; præpara te ad pressuras;* ibid. Et si Deus id permittat.

PUNCTUM II. Id, quod ad exemplum S. Joannis facere debet, est, ut specialiter Christum recogites, *recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem; ut ne fatigemini animis vestris, deficientes.* Hebr. 12. 3. Noli despondere animum, in medio tribulationum, laborum, & inimicorum, quos tibi ministerium tuum causat; noli inniti propriœ virtuti, imo nequidem æquitati causæ tuæ, sed unice confide, in meritis illius, cujus nomine decertas; conjice incessanter oculos tuos in hoc exemplar, quod imitari debes; nam quemadmodum infantes, oculos suos defixos habent in patrem; & discipuli supra magistrum suum; eorum motus & modum agendi observando, ita & tu in hoc spirituali cursu sacerdotii, ac ministerii tui pastoralis, si hoc tibi incumbit, si ita currere desideras, ut ad coronam illam bene currentibus destinatam pervenias, oculos tuos pariter in Jesum, patrem & magistrum tuum, authorem & consummatorem fidei tuæ conjice, qui non

vitam

vitam mollem & tranquillam, qua frui poterat, elegit, sed crucem, ut Paulus loquitur Hebr. 12. 2. *aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*; Poterat nihil pati, si voluisset, siquidem *peccatum nullum fecit, nec est inventus in ore ejus dolus.* Ut S. Petrus ait 1. Ep. 2. 22. Si ergo ille, qui nihil habuit, quod eum crucis reum faceret, nihilominus pro nobis crucifigi voluit; si ex tot causis mortem promeruimus, an non æquissimum est, ut etiam nos omnia pro ipso sustineamus.

Hæc & similia pro præparatione ad Missam expende, & postquam illum intra te recepisti, qui est fortitudo martyrum, noli ullam persecutionem pertimescere; *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psal. 22. 4. Omnem fiduciam in ipso colloca; ipse vicit mundum, & faciet, ut & tu illum superare valeas; ille ipse est, qui spem & fiduciam hanc nobis facit, *in mundo pressuram habebitis; sed confidetis, ego vici mundum.* Joannes 16. 33.

FERIA QUINTA.

Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis & vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur; & beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Matth. 11. 5. 6.

DE BONO EXEMPLO.

1. Necessitas illius. 2. Et illius effectus.

PUN-

PUNCTUM I. PEr opera manifestum se facit Jesus discipulis Joannis Baptistæ; & dum eis ostendit à se facta miracula, quæ de ipso prœdixerant Prophetæ, docet nos, quod nulla securior sit probatio ipsis operibus; nihilque fortius corda; mentesque hominum, & penetrare & movere queat, quam bonum exemplum, estque id ipsum, quo uti voluit Apostolos suos ad conversionem hominum, & ad adducendos Patri suo veros adoratores; *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum; qui in cœlis est.* Matth. 5. 16. En quali hamo, & esca piscatoria, tot pisces in retia sua attraxerint piscatores hi Evangelici! adeo persuasi erant de hac veritate, felices isti Salvatoris discipuli, ut nil aliud jam operose recommendaverint suis in sacro hoc ministerio successoribus, quam ut se normam & exemplar præberent populo sanctitate vitæ suæ; estote, ait illis princeps Apostolorum 1. Petri 5. 3. regula & exemplar gregis vobis commissi; *forma facti gregis ex animo.* Pascite eos magis exemplo bono vestro, quam doctrina; vivite modo tam puro & sancto, ut opera vestra bona, quæ in vobis videntur, reliquos fideles, imo & infideles trahant, & excitent ad glorificandum Deum; *conversationem vestram inter gentes, habentes bonam, ut ex bonis operibus vos considerantes Deum glorificent.* ibid. c. 2. 12. ad hoc constanter hortatur S. Paulus Timotheum & Titum,

Titum, discipulos suos; *exemplum esto fidelium*, monet primum, *in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*. Et ad secundum ait: *in omnibus præbe te ipsum exemplar bonorum operum, in doctrina in integritate, in gravitate*. 1. Timoth. 4. 12. Tit. 2. 7.

Facile exinde colliges, quam bono exemplo aliis esse debeat clericus. Examina nunc te ipsum, an juxta hanc normam vivas, quam Apostolus præscribit: *in verbo*. Suntne discursus tui ædificatorii? opponisne te omni, quod pietatem corrumpere possit, & bonos mores? *in conversatione*; esne bonæ conversationis? inspiras aliis horrorem vitiorum? æstimationem virtutis? amorem religionis? *in gravitate*; observasne ubique modestiam, & gravitatem clerico convenientem? *in charitate*; supportasne imperfectiones & errores proximi tui? habesne erga illos charitatem fraternam? *in fide*; anne vivis, juxta principia fidei, quin iis adhæreas, quæ sensibus blandiuntur? *in castitate*; habesne sollicitudinem evitandi obscœnas voluptates, & quidquid sanctam virtutem castitatis lædere posset? facto hoc examine, vide nunc etiam.

PUNCTUM II. Effectus, quos causat bonum exemplum. *Corrigit & prodest*, ait S. Ambrosius in Psal. 118.

1. *Corrigit* peccatores, & eò adducit, ut virtutem amplectantur. Hoc ipsum est, quod S. Augustino evenit, quando conversionem Victorini oratoris sibi à Simpliciano narrari audiverit,

qui

qui ejusdem cum ipso farinæ erat: statim enim desiderium in eo exarserat eum imitandi; *ubi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino isto narravit, exarsi ad imitandum*, L. 8. conf. 5. Bonum exemplum os obstruit libertinis; quot enim sunt, qui explodunt omnia, quæ ipsis dicuntur? efficaciæ autem boni exempli resistere non possunt; hinc ait S. Petrus, 1. Ep. 2. 15. voluntatem Dei non esse, ut cum ejusmodi hominibus disputemus, sed ut silentium ipsis imponamus sanctitate vitæ nostræ; *sic est voluntas Dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

2. Bonum exemplum *prodest*. Admonet negligentes obligationis suæ, & bonos ac perfectos in fervore conservat; *plerisque, justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia.* Ita loquitur *S.* Ambrosius, in hæc verba. Ps. 118. qui timent te, videbunt me, & lætabuntur. Qui mira de hac materia habet, & advertit, S. Paulum ob hanc causam, profectum Jerosolymam Metropolim hanc Judoeæ visurum, ubi primi fideles in pietate excellebant; *ut justos videret*; & exinde concludit, *sicubi ergo justus sedeat, sicubi accumbat, festinemus videre eum.* Pretiosa enim res est & valde proficua talem videre; videmus enim in eo imaginem Christi, & ad imitationem illius nos incitari sentimus; *vides ergo, quia inter multas Christi imagines ambulamus.* ibid.

Quæro, an pluribus opus sit, si quid fidei habe-

habemus, ut ad dandum bonum exemplum animemur; igitur *unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem*, Rom. 15. & ut resolutio hæc effectum suum sortiatur; roga Christum, quem ad altare actionibus tuis repræsentas, ut tibi gratiam concedat eundem etiam sanctitate vitæ tuæ repræsentandi, ejusque virtutes fideliter exprimendi; tunc enim cum Apostolo vere dicere potes, *providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. 2. Cor. 8. 21.

* * * * * * * * * * * * * * *

FERIA SEXTA.

Quid existis videre? arundinem vento agitatam? Matth. 11. 8

DE CONSTANTIA IN BONO.

1. Quam necessaria sit hæc virtus Ecclesiasticis.
2. Examen, an illam habeamus?

PUNCTUM I. PRoponit nobis Christus in S. Joanne veram ideam & exemplar Ecclesiastici. Quærit ex adstantibus, *quid existis videre in deserto, arundinem vento agitatam?* significare volens per hoc, S. Joannem non esse levem & inconstantem, qui se quolibet vento moveri & agitari permittat, sed potius hominem cordatum, qui firmitate & constantia sua persecutionem Herodis sibi accersivit, cujus incestuosum connubium noluit approbare.

Talis esse debet verus Dei minister; quē firmũ, inflexibilem, obligationis suæ memorem esse

decet;

decet; *non enim*, ut ait *S. Paulus*, *dedit nobis Deus* in ordinatione nostra, *spiritum timoris*, *sed virtutis & dilectionis*, *& sobrietatis*. Si pastor vel sacerdos timidus sit & formidolosus, quomodo audebit potentes hujus sæculi arguere vel admonere, non licet tibi habere vel alere fœminam, quæ tua non est? quomodo audebit reprehendere principem, quod quamvis se amantem justitiœ & zelatorem jactet, ille ipsemet sit, qui eam violat, & quidem turpius, quam quisquam alius, ut Nathan Propheta regi David id in faciem objecit? *tu es ille vir*. Si resolutus non est, quomodo ad exemplum Prophetœ Eliæ, audebit alicui in magna dignitate constituto in faciem exprobrare, illum esse, qui populum conturbat, violando leges sanctissimas; non vero parochum, qui bono zelo animatus pro gloria Dei & salute animarum, mores illius & impium vivendi modum redarguit? ministrum ergo Christi firmum & constanti animo esse oportet, siquidem sœpiissime valde odiosa tam populo quam magnatibus proponere & urgere debet, instar Jeremiæ *columna ferrea & murus æneus esse* debet, ut resistere & se opponere valeat omnibus, quando Dei vel Ecclesiæ interesse agnoscit. Vide nunc in 2do puncto, an hanc virtutem habeas?

PUNCTUM II. Firmitas seu constantia, de qua hic loquimur, non est illa, de qua quis proprio suo sensui vel judicio, sed obligationi suæ inhœret; non nascitur, ex quadam severitate & melancholico humore, sed ex fundo charitatis,

quœ

quæ nobis omnia possibilia media suggerit, ad assecurandam tum nostram tum aliorum salutem. Hanc habebat S. Franciscus Salesius, suavissimus cæteroquin ex omnibus spiritualibus directoribus, dum in quadam Epistola hisce verbis usus fuit: *ad hoc me resolvi, ut fideliter ac soliçite propugnandæ divinæ gloriæ me impendam; imprimis quo ad me ipsum, deinde quo ad omnia illa, quæ officii & obligationis meæ sunt.* Examina te ipsum, utrum idem cum sancto hoc Episcopo sentias? utrum à te ipso incipias? nulla te levitas & inconstantia prodit in tua ratione agendi? potesne dicere cum S. Paulo: 2. Cor. 1. v. 17. *nunquid levitate usus sum, aut quæ cogito, secundum carnem cogito; ut sit apud me, est & non?* ah quam debilis & mutabilis es, in illo modico bono, quod facere proposuisti, minima difficultas terret, & animum despondere facit. Sancti, nec minis nec promissis mundi, se moveri passi sunt, tu autem instar arundinis fluctuas. Nihil moliri audes, timens, ne hominibus displiceas; adeo timidus & formidolosus es, ut etiam sine causa timeas; *illic trepidaverant timore, ubi non erat timor.* Psal. 13. Habesne firmitatem hanc etiam respectu proximi tui? prædicasne valide contra vitia? an non potius adularis passionibus illius, approbando consvetudines malas, introducendo opiniones laxas, in dubium vocando firmissimas fidei nostræ regulas & principia? *adulterantes verbum Dei.* Idque admittendo, quod Apostolus prohibet? 2.

Cor.

Cor. 17. *ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Habesne denique firmitatem hanc, in confessionali, ubi vel maxime occasionem illam erga tot peccatores exercendi habes, qui tabescunt in vitiis, nec inveniunt charitativam manum, quæ eos sanare satagat?

Agnosce infirmitatem tuam coram Deo; roga ipsum per Jesum Christum filium suum, quem proxime sumpturus es, qui est fortitudo omnium bonorum pastorum, ut te per virtutem hujus divini sacramenti firmare dignetur, & pro gratiarum actione post Missam dic illi cum propheta: Is. 50. v. 7. 8. *ecce Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus, ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio, quoniam non confundar; juxta est, qui justificat me, quis contradicet mihi?*

* * * * * * * * * * * * * * *

DIE SABBATHI.

Quid existis videre? hominem mollibus vestitum? ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Matth. 11. v. 8.

DE HABITU CLERICALI.

1. Quanti illum æstimare debeamus.
2. Quam obligati simus illum portandi.

PUNCTUM I. SI Sanctus Joannes fortitudinis & firmitatis perfecta norma est, quam minister Evangelicus habere debet,

bet, ut teſtimonium perhibeat veritati, non minus exemplum præbet clericis, ut quam longiſſime abſint ab eo omni, quod mollitiem, luxum, pompam & vanitatem hujus ſœculi redolet; hinc Redemptor noſter illum non ſolum ut intrepidum laudat, ſed etiam ob auſteritatem habitus. Diſce exinde, quod per modeſtiam & regularitatem habitus tui alios ædificare debeas; *ex viſu cognoſcitur vir*, ait Spiritus S. Eccleſ: 19. 27. *amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis, enuntiant de illo.*

Per habitum clericalem intelligo tunicam talarem, crines tonſos, & coronam in capite; & ut hœc omnia, prout merentur, æſtimare diſcas, audi nunc, qualem ſignificationem habeant. *Tunica* ob colorem ſuum nigrum, & qualitatem panni, ex quo fit, nempe ex communi lana, denotat vitam pauperem, humilem & pœnitentem, quam ad exemplum Jeſu Chriſti, magiſtri tui, ducere debes. *Crines tonſi*, admonent te, quod per acceptam ſacram tonſuram omni ſuperfluitati renuntiaveris, & ſolum Deum pro parte hœreditatis tuæ agnoveris. *Corona in capite*, quam habere debes, ſpineam coronam repræſentat, quæ in paſſione capiti Chriſti fuit impoſita, tibique in memoriam revocat, oportere Eccleſiaſticos eſse Nazaræos Domini, id eſt ſeparatos à ſœculo, ſanctificatos, ſpecialiter divino cultui conſecratos. Paulo accuratius conſidera ſenſum verborum iſtorum; meditare iſta, dum habitum tuum Eccleſiaſticum induis, ut

ita sensim assuescas contemnere mundum, & omnibus ejus pompis & vanitatibus renuntiare: *expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. 3. & ut similes reflexiones altius in animum tuum penetrent, considera in puncto 2do, quanta sit obligatio portandi habitum Ecclesiasticum.

PUNCTUM II. Quamvis habitus non faciat monachum, ut in proverbio dicitur, nihilominus quia Ecclesia opportunum esse duxit, ad aedificationem fidelium regulandi habitum clericorum, obligati sumus, ut nos sanctis ejusmodi ordinationibus conformemus; *etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos, vestes proprio congruentes ordini, semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.* Ita loquitur Concilium Tridentinum. Nota hos terminos: *oportet semper.* Deferre debes habitum clericalem, nec hoc intermittere potes, quin Ecclesiae ordinationi inobediens existas; *oportet.* Debes illum portare ubique, non solum in civitate, sed etiam foris in itinere, & nunquam uti vestibus saecularibus. *Habitu talari, tum domi, tum foris utantur.* Ait S. Carolus in 4to Concilio Mediolanensi. Descendit hic S. Cardinalis ad particularia, prohibet clericis limbos denticulatos, sericas aut alias ejusmodi vestes pretiosas; vetat insuper crines longos, crispatos, pulvere aspersos, uno verbo, quidquid saeculi vanitatem redolet, & Ecclesiasticae simplicitati contrarium est, rejectum

ctum vult. Observasne hasce regulas? de quali panno vestes tuæ constant? nihilne affectatum videre est in linteo colli tui amictu, manicis, pileo, calceis &c.? Si quid reperis, rescinde illud, & illud sequi tecum statue, quod canone 45. quarti concilii Carthaginensis annotatur; *clericus professionem suam & in habitu, & in incessu probet, & nec in vestibus, nec calceamentis decorem quærat.*

Pro Missa; quando vestes sacerdotales induis, assume pariter modestiam & humilitatem, & ita offer Deo victimam, ne in illo terribili die confundaris, ubi ille visitabit in ira sua omnes, qui vestes alienas portant, vanitatem, & spiritum filiorum hujus sœculi, simplicitati christianæ præsertim ministris sacris convenienti contrarium redolentes; *& erit: in die hostiæ Domini, visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Sophon. 1. 8.

****

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. Philipp. 4. 4.

DE RECREATIONE.

1. Utrum quandoque liceat recreatione uti?
2. Quomodo illa utendum.

PUNCTUM I. LAudetur infinita Dei bonitas, qui nos per Apostolum suum monet, ut sancte nos recreemus; quique nobis concedit, uti quadam recreatione post labores

bores nostros. Non potest homo in præsenti vita sine intermissione applicare se rebus seriis; infirmitas sua necessariam reddit homini recreationem; non est eadem ratio hominis & cælorum, qui in perpetuo motu sunt; continuus labor sive animi, sive corporis brevi vires exhauriret, & destrueret, nisi interruptio & quies aliqua, illum interpolaret. *Sapientem*, dicit Augustinus, Lib. 2. de Music. *decet interdum remittere animū rebus agendis intentum.* Scimus, quod vel ipsi anachoretæ & eremi incolæ (qui tamen implacabiles corporum suorum erant inimici, neque aliter hæc considerabant nisi victimas pœnitentiæ,) nihilominus putarint, ac sibi persuaserint ipsam pœnitentiam cum aliqua modica recreatione haud esse incompatibilem. Concesserunt illam in certis occasionibus non solum aliis, ut videre est apud Cassianum, Collat. 24. sed ipsi quoque ea usi sunt.

Sed summa cura cavendum est, ne hæc innocens libertas degeneret in licentiam aliquam vitiosam, & ne occasionem præbeat, ut secundum carnem vivamus; *cavendum, ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, & quasi concentum quemdam bonorum operum.* Ait S. Ambrosius Lib. 1. offic. c. 20. Debent lusus & recreationes nostræ ad hoc, ut innocenter fiant, nec reprehendi possint, honestati congruere, & non contrariari decentiæ professionis nostræ. Ad hunc effectum.

PUNCTUM II. Considera, qualis esse debeat

beat recreatio noſtra? hac uti nôn debemus, niſi ea indigeamus; hinc eam aliter conſiderare non debemus, niſi ut medium, ad hoc permiſsum, ut ſit ad refocillationem & ad reparandas vires deperditas, tanquam id, quod infirmitati noſtræ indulgetur, ut majori dein vigore ad labores noſtros redeamus, & ideo aliter nos recreare conceſsum haud eſt, quam prout cibo & potu, ſomno & medicina utimur. Quid ſentires de illo, qui continuo vorare vellet, aut dormire, adeo ut nunquam de menſa, aut lecto ſurgeret? quam talis abuteretur corpore & anima ſua à Deo nobis in hunc finem conceſſis, ut ipſi fideliter ſerviamus? ſed quam multos invenire nihilominus eſt inter Chriſtianos, imo quod magis deplorandum, *nunc autem & flens dico*, etiam inter clericos, qui hoc modo vivunt? vix ſciunt, qui ejuſmodi ſunt, quid ſit ſerio ſe ad aliquid applicare; continuus apud ipſos eſt circulus recreationum & relaxationum: totum tempus ſuum tranſigunt in luſu, deambulationibus, officioſis ſed inutilibus viſitationibus, & ſalutationibus; *æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram*. Sap. 15. 12. 2. Moderate inſtitui debet recreatio, & non nimium temporis in ea inſumi; nunquam autem illud, quod orationi, ſtudio, & reliquis functionibus ſtatus noſtri deputatum eſt. Si honeſto quodam luſu uti volumus, hoc fiat cum æqualibus, nunquam autem in publico, ne miniſterium noſtrum vileſcat, aut ſæculares ſcandalum exinde ſu-

mant, *ne clerici publice ludant, maxime cum laicis; nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam, quod facile pecunia æstimari possit.* Ut loquuntur concilia. Concil. Senon. 1528. Concil Mediol. 1. p. de ludis. Sed tantum recreationis gratia. 3. Evitare oportet nugas & ineptias, & omnem juvenilem vel puerilem agendi modum, *juvenilia autem desideria fuge.* Ait S. Paulus ad Timotheum 2. Ep. 2. 22. Non debemus declinare ad jocos vel difcurfus parum honeftos. Turpe eft videre clericum, qui turpia loquentibus arrideat; adhuc autem turpius, fi ipfe turpia loquendo, aliis rifum movere intendat, *fœde ad cachinnos moveris; fœdius moves.* Ait S. Bernardus; denique abftinere debemus à certis recreationibus & relaxationibus, quæ fanctitatem ftatus noftri offendunt, uti funt venatio, nundinatio, faltatio, comœdiæ, lufus aleatorius, vel fimilis, præcife à fortuna dependens, & generaliter omnia illa, quæ gravitati, modeftiæ & profeffioni clericali, contrariantur. Examina te modo fuper defectibus, quos in tuis recreationibus commififti hucufque, an non plus temporis in iis infumpfifti? an non minus decenter, in iis converfatus es? an non affvevifti recreationibus, aut ludis prohibitis? quam fcandalofum eft videre, clericum ac Dei miniftrum, chartas feu picta folia continuo in manibus verfantem, quibus tam frequenter corpus Domini noftri Jefu Chrifti tangit & tractat, uti & calicem fangvinem illius pretiofiffimum,

ſimum, continentem, quis tam male jam aſſuetus ſit, ut indifferenter cuilibet ludo ſe exponat, imo etiam cum perſonis alterius ſexus; quod tamen adeo expreſſe prohibitum eſt à conciliis? quis tempus adeo pretioſum, quod ſtudio S. Scripturæ, traditionum Eccleſiaſticarum, ac functionibus ſacris miniſterii ſui impendere deberet, exercitio hujuſmodi infami miſerabiliter conſumit! deplora hoc malum, ſi hucuſque ejuſmodi luſibus deditus fuiſti. Pete à Deo veniam, & reſolutionem cape, impoſterum etiam ab aliquibus tibi licitis & permiſſis abſtinendi, ut præteritos tuos errores compenſes.

Pro præparatione ad Miſsam, roga Chriſtum per ipſius divinam recollectionem, quam in tota vita ſua tenuit, ut tibi gratiam hanc donare dignetur, qua te impoſterum ſanctius recreare; & omne id evitare valeas, quod te nimium diſtrahere, & ſpiritum diſſipare poſset. *Qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis audeat abſtinere; quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat; ut qui commiſit probibita, ſibimet ipſi abſcindere debeat etiam conceſſa.* S. Greg. hom. 34. in Evang.

FERIA SECUNDA

Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus; Dominus prope eſt. Phil. 4. 5.

DE MODESTIA

1. Quam neceſsaria ſit clericis. 2. Præſentia Dei,

est optimum medium illam acquirendi & conservandi.

PUNCTUM I. GAudium, quo nobis Apostolus primum commendavit, gaudium sanctum est, ac tale, quod semper conjunctum esse debet cum aliqua recollectione, gravitate & modestia. Item vult Apostolus, ut hæc ipsa modestia nostra toti mundo innotescat. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Hæc amabilis & prorsus angelica virtus, necessaria quidem est omnibus Christianis, elucere tamen debet modo quodam prorsus singulari in omnibus clericis. Vestis eorum tesseraria & insigne, per quod ab aliis distinguantur, modestia est; *induite vos sicut electi Dei, modestiam.* Colofs. 3. 12. Virtus ista clericis tam essentialis est, ut S. Ambrosius t. 1. off. c. 18. non obstante innata sua suavissima indole, è clero suo duos ejecerit, quorum unus in gestibus suis indecens & in oculis vagus erat; alter vero nimis affectate & dissolute incedebat. Eventus docuit justum fuisse de utroque judicium, quia unus ex illis factus est Arianus; alter metu persecutionis presbyterum se esse negavit.

Vide nunc, an hanc modestiam, quam Dominus noster à te requirit, habeas; quamque tibi his gravibus verbis Tridentinum Sess. 21. de reform. c. 1. commendat; *sic decet omnino clericos vitam morèsque suos componere, ut habitu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil*

nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum, præseferant. Sequerisne has regulas? an ita componis modum tuum externum agendi, & vestitum: ut nihil indecens ibi advertere sit? *habitu*? vultum, oculos, totius corporis gestus? *gestu*? modum incedendi? incessu? discursus tuos, aliaque omnia? *sermone, aliisque rebus omnibus*? observasne ante omnia modestiam hanc in Ecclesia, & ad altare, ubi omnis populus, oculos in te defigit? ubi vel maxime dicere possumus, *spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus.* O bone Deus! si nos bene examinaremus, inveniremus, quod infinities, contra hanc sanctam virtutem peccaverimus. Si te reum in aliquo nosti, medium te emendandi quære, medium inquiramus, opportunissimum suppeditabit.

PUNCTUM II. Modestia, ad quam nos *S.* Paulus invitat, non consistit præcise ac simpliciter in aliqua modestia exteriori, id est, in compositione vultus, & exterioris habitus; si præter hæc aliud non requireretur, non nisi falsa & pharisaica foret modestia, quæ sub externo decore cor absconderet depravatum ac vitiosum. Modestia, quam nobis commendat Apostolus, nasci debet ex fundo animæ; ut sit quasi aliqua effusio & reflexio interioris & solidæ cujusdam pietatis. Hinc opportunissimum medium illam & acquirendi & conservandi nobis suggerit, nempe exercitium præsentiæ Dei, qui omnia, quæ intra nos fiunt, videt, igitur quam

sæpis-

sæpissime dicamus: *Dominus prope est*, Deus videt me, testis est omnium mearum actionum; rationem à me exiget cujuslibet verbi, gestus, & motus inordinati. Hæc persuasio præsentiæ Dei, conservare in nobis debet reverentiam, & modestiam etsi nullus hominum, qui nos videat, adsit. Includis te in cubiculum tuum, *Dominus prope est*. Extincta est lampas vel lumen; cubitum concedis. *Domine prope est*. Si quid indecens committere vis, aut immodestum, quære locum, quem immensitate sua non repleat Deus. S. Bernardus ait, quod cogitatio de præsentia nostri S. Angeli Custodis profundam reverentiam nobis inspirare debeat; & quod valde sit indignum, aliquid tale in ipsius præsentia agere, quod coram homine non auderes. An non igitur Dei præsentia potentior & efficacior erit; audebitne Clericus de hac sancta præsentia persvasus, non dico criminosum quid, sed vel minimum quid minus decens committere? pudeat ipsum imitari sæcularium mores, & ità se indecenter gerere, ut aliis risum moveat; omne malum nostrum exinde originem trahit, quod Deum obliviscamur; *non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*. Psal. 10. 5. O Domine, num te mihi præsentem esse cogitavi, quando talia olim feci! quæ modo fateri aut dicere non auderem? anne modo de hàc tua præsentia vivaciter persuasus sum, dum spiritum meum horrendo tepore & acedia, quasi totum evanuisse sentio? ignosce Domine, & fac, ut tui imposte-

posterum, non ita amplius obliviscar; & siquidem me semper vides, fac, ut ego quoque te semper mihi præsentem statuam. O quam felix forem, si cum Propheta Regio Psal. 15. 8. dicere possem, *providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.*

Pro præparatione ad Missam recordare, quod ad altare non solum in præsentia Christi sis, sed simul cum ipso sis, qui te suo proprio sanctissimo corpore nutrire vult. Roga Jesum, ut te participem facere dignetur admirabilis modestiæ, quæ ex tota vita ipsius eluxit. Hoc attractivo, seu motivo uti debes ad exemplum Apostoli 2. Cor. 10. 1. ad movenda corda hominum peccatorum, ut eos ad eum trahas; *obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi*

* * * * * * * * * * * * * * *

FERIA TERTIA.

Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu. Psal. 4. 7.

DE PACE ANIMÆ.

1. Quænam sit hæc pax. 2. Signa, ex quibus cognosci possit, an eam habeamus.

PUNCTUM I. DUm S. Paulus pacem Dei nobis optat, bonum adeo grande & amplum nobis optat, ut sit incomprehensibile; sensus hominis & omnis intellectus illius eousque se non extendunt. Quod divi-

num

ftum eft, comprehendi non poteft, nifi per Spiritum Dei, proinde fenfus noftri, eò fe extendere non poffunt, *exuperat omnem fenfum*. Non eft ergo pax Dei, id, quod dicunt de illa homines, quod fanctæ & fideles Deo animæ de illa fentiunt, & experiuntur; ideo definiunt illam SS. Patres fic: *fapor Dei*; volunt dicere, quod oporteat eam guftare ad hoc, ut fciatur, quid fit? quia quemadmodum dulcedo mellis, per intellectum non cognofcitur, fed per guftum, ita etiam pax ifta, non eft id, quod à nobis exprimitur, fed quod intus fentimus; & experimur. Ut illam poffideamus, oportet renuntiare paffionibus noftris, & elevare nos fupra fenfus noftros, quia anima illa, quæ gaudere vult deliciis hujus mundi, non eft capax, ut delicias divinas deguftet, *anima faturata calcabit favum*. Prov. 27. 7. Ita etiam S. Paulus teftatur, pacem hanc omnino internam effe; non enim dicit, quod bona noftra, corpus & fanitatem, fed *cuftodiat corda veftra, & intelligentias veftras in Chrifto Jefu*, & quidem ita cuftodit in Chrifto Jefu, ut eas dæmoni invincibiles efficiat. Et fane, quid timere poffit, vel ab hominibus, vel à dæmone, anima illa, quæ hac Dei pace gaudet? omnes conatus & nifus inferni & mortis fruftranei funt, fi huic cuftodi vitæ nos confidamus; nec poteft efse acre bellum ullum, nifi exinde, quia parum folliciti fumus, ut pacem hanc divinam quæramus. Examina te nunc, utrum eam habeas?

PUN-

PUNCTUM II. En ſigna quædam, ex quibus cognoſcere poſſis illam. Conſidera primo pacem hanc, quœ eſt fructus incarnationis, & nativitatis Domini noſtri ſalvatoris, non eſse datam niſi juſtis & hominibus bonæ voluntatis. *Pax hominibus bonæ voluntatis*. Luc. 2. 2do. cum non ſit aliud, quam requies bonæ conſcientiæ, ut poſſideatur, expelli debere è corde noſtro peccatum, cum ſit impoſſibile animam illam Dei pace gaudere poſse, quæ bellum cum Deo gerit; hinc admonet nos per Prophetam ſuum, Iſ. 7. quod *non eſt pax impiis, dicit Dominus*. 3tio neque ſufficit renuntiare peccatis, ut pacem hanc habeâmus; oportet inſuper debellare, & expugnare paſſiones noſtras, quæ nobis pacem hanc turbare, & eripere volunt. 4tum denique, adeo nos paratos eſse oportet ad obſervantiam mandatorum, & ſubmiſsos Providentiœ divinæ, ut quidquid nobis contrarium accidat, nunquam tamen ſerenitatem & tranquillitatem animœ noſtræ perdamus; *pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*. Pſal. 118.

Examina te modo ſuper hoc. Eradicaſtine funditus peccatum è corde tuo, ut pacem hanc bonæ conſcientiæ habeas, quam Spiritus Sanctus ordinarie conferre ſolet animabus vere pœnitentibus? non es ne adhuc mancipium paſſionum tuarum? adeo, ut nec minimam tibi ipſi violentiam inferre velis, ut eas ſubigas? habeſne illam legis divinœ dilectionem? in qua totum

ſuum

suum gâudium constituebat Propheta regius? *quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est*. Psal. 118. Ah quantum abes adhuc ab ista perfectione! humilia te coram Deo, & ex toto corde ad eum clama; *da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem*. Orat. Eccles. Ah bone Deus! ne denegès nobis hanc beatam pacem! *ut corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla*.

Pro Missa considera, quod Christus Jesus per nativitatem suam pacem hanc mundo attulerit, eamque per SS. Eucharistiam conservare velit. Hinc à SS. Patribus vocatur sacramentum hoc, *vinculum pacis*, vinculum tale, quod nos cum Deo, proximo, & nobiscum ipsis in pace conservet. Adora Christum, ut principem pacis; roga ipsum, ut tibi donum adeo pretiosum concedat, & ita perfecte vive imposterum, ut eam conserves constanter; *perfecti estote; idem sapite; pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum*. 2. Cor. 13. 11.

FERIA QUARTA.

Miserunt Judæi ab Jerosolimis sacerdotes & levitas ad Joannem, ut interrogarent eum, tu quis es? & confessus est, & non negavit; confessus est, quia non sum ego Christus Joan 1. 19.

DE COGNITIONE SUI IPSIUS.

1. Nil

1. Nil magis necessarium. 2. Nihil magis à nobis negligitur.

PUNCTUM I. MIrare hic responsum, quod S. Joannes deputatis Judæorum, qui eum pro Messia habebant, dedit; quo magis eum elevare conabantur, eò magis se ipsum deprimebat. Principalis virtus sancti hujus præcursoris in eo consistebat, ut se ipsum bene cognosceret, quid non sit; excellentiam suam in humiliatione sua ponit, dum dicit, *non sum*. Et hoc dicendo, prout oportet, id est, cum profunda humilitate, simul nobis manifestat, se esse maximum ex omnibus hominibus, docet insuper, ut si quid apud Deum valere velimus, aliter id consequi non possimus, quam ut nos nihil esse existimemus. Cognitio nostri, id est, nihili nostri, & miseriarum nostrarum, sufficit ad hoc, ut omnes defectus nostros corrigamus. An ne se ipsum extollere possit clericus ob talenta sua? si ad hoc se reflectat, quod homo de suo nihil habeat nisi mendacium & peccatum, prout loquitur certum quoddam concilium? (Concil. Arauf. 2. c. 22.) quid aliud faciat quis, in consideratione tantæ miseriæ, quam ut cum propheta *exclamet*: *vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis?* Thren. 1. 11. hœc cognitio non solum nos humiliat coram Deo, sed insuper facit, ne nos supra proximum nostrum elevemus, siquidem aliud non est, quod nos contemnere faciat alios, quam quia ignoramus nos ipsos; nullus ægrotus

tus alteri ægroto insultat, nisi obliviscatur propriæ infirmitatis; nullum unquam despiciemus, utut miserabilis & despiciendus videri possit, si nostras ipsas imperfectiones, nostra peccata, quibus subjacemus, vel quibus saltem subjacere possemus, si gratia Dei nos non sustentaret, consideraremus. Qui seipsum bene cognoscit, infinitos alios defectus evitat, quorum causa esse solet superbia; neque durus, neque immisericors erga alios est, qui seipsum respicit ut talem, qui vel talia passus sit, vel pati possit; non est invidus, quia persuasum habet, se nihil mereri, proin non putat honorem, qui alteri exhibetur, sibi deberi; non est vindicativus, quia modica illa, quam de seipso habet æstimatio, pro nihilo reputat offensas sibi illatas, non est impatiens, quia dum se minus habentem respectu aliorum in propria sua statera invenit, alios suffert, prout ipse ab aliis sufferri cupit; non est ambitiosus, quia attenta sua incapacitate, sua forte contentus est; neque aliud, aut aliter de seipso sentit, quam quod sit pauper; *ego vir videns paupertatem meam.* Thren. 3. 1. En! hisce clare videre & agnoscere debes, quam necessaria sit sui ipsius cognitio; interim nit magis negligitur, prout statim idipsum in 2do puncto videbis.

PUNCTUM II. Totus mundus recipit, & admittit hoc præceptum: *nosce teipsum*, sed pauci sunt, qui id exequuntur. Ut te ipsum convincas, considera, Deum homini dedisse tria

media ad acquirendam cognitionem sui: *rationem, legem, & conscientiam*. *Ratio* illi ostendit, quod sit homo; *lex* quod sit Christianus; *conscientia*, quod sit bonus vel malus. Utimurne hisce mediis? ipsemet judex tuus esto, *Ratio* tibi dictat, quod sis conditionis fragilis & mortalis; interim, dum de morte recogitare deberes, quæ tibi in momenta singula imminet, ita vivis, quasi nunquam esses moriturus; negotia negotiis implicas, & talia tecum ipso disponis, quibus nec plures vitœ sufficiant, quæ stultitia! plenum esse miseriis & illas ignorare? nescire proprios defectus, quos nemo aliüs nescit? ab omnibus plane rideri, nihil tamen de hoc scire velle? o statum plane miserabilem! *Lex* docet nos, Christianos nos esse, & ut tales obligari nos ad observandas regulas illas, quas Deus nobis, ut sancti & hœredes regni æterni evadamus, prœscripsit; regulœ istœ in libris veteris & novi testamenti continentür; legimusne illas? observamusne illas? *Conscientia* testis est irreprehensibilis, qui pro, & contra nos, deponit, qui nobis & id, quod mali, & quod boni facimus, indicat; audimusne illam? imo hœc ipsa lumina conscientiœ fugimus; hos remorsus retundere & sedare cupimus.

Ah Domine! quam miser & cœcus hücusque fui; nunquam me ipsum ut oportet, cognovi: *revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. Aufer velamen ab oculis meis, ut videam mirabilia, quæ in lege tua abscondita

sunt

ſunt, & ut adimpleam ea, quœ ipſa à me requirit.

Sacramentum Euchariſtiæ, ſacramentum lucis eſt; ſi hodie ad illud accedis, non alio fine id fiat, niſi ut petas à Chriſto Jeſu hanc duplicem cognitionem, quam S. Auguſtinus tantopere & tam frequenter expetijt: *noverim te, noverim me*. Si me cognovero, nonniſi meipſum contemnam; ſi te, ſine fine laudabo infinitam miſericordiam tuam, illique omne id, quod bonum in me invenero, attribuam, dicamque cum Propheta Regio: *Deus meus, miſericordia mea; miſericordia mea, quid eſt?* adjungit hic Auguſtinus in Pſal. 58. *totum, quidquid ſum, de miſericordia tua eſt.*

FERIA QUINTA.

Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini Joan. 1. 23.

DE PRÆDICATIONE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

1. Omnia in ipſo prœdicabant. 2. Omnia in nobis pariter prœdicare debent.

PUNCTUM I. POſt elogium à Chriſto Domino S. Joanni Baptiſtæ datum, *non ſurrexit major inter natos mulierum Joanne Baptiſta*, non credo, quod quid magis, quid glorioſius, quid magnificentius extollendis meritis ſancti hujus præcurſoris, dici poſſit? quam reſponſio iſta, quam ad ſui humiliationem

tionem deputatis Judæorum dedit: *ego vox clamantis in deserto*, ait se nonnisi debilem vocem esse, nonisi tonum quemdam, qui ex se subsistentiam non habet; se prœcise nonnisi præconem esse pœnitentiam hominibus annuntiantem; poteratne se humiliare magis? interim, cum quodam ex SS. PP. (S. Aug. ferm. 288) in certo sensu dicere possumus, quod illi nil gloriosius esse possit, quam hæc vox: *ego vox*; quia reipsa vox erat, & omnia in ipso clamarunt, quidquid in Joanne est, loquitur; desertum ipsius clamat contra enormem dissolutionem, qua tot homines vitam suam miserabiliter transigunt; silentium ipsius penetrans vox est, quæ condemnat tantam verborum profusionem, originem ac radicem infinitorum peccatorum in plerisque hominibus; continua ipsius jejunia invehuntur in excessus eorum, in sumptuosa convivia, in intemperantiam; pellis ista ex pilis camelorum, qua tegitur, elevat se, contra luxum & mollitiem tot voluptuosorum, qui nihil carni & corpori suo denegant; denique continua in illo recordatio Dei, oblivionem nostram arguit salutis nostrœ, in qua plerumque nos omnes vivimus; ô excellentem prœdicatorem! aliud nobis faciendum non est, quam ut audiamus id, quod nobis hac sua exteriori tanta humilitate, pœnitentia, mortificatione dicit, ut perfecti christiani ac sancti clerici evadamus; *Joannes vestitu, victu, loco, totus pænitentia formatus incedit*. S. Chrisost. serm. 166 2.

Quam

Quam partem ex omnibus hisce virtutibus tu habeas? interim.

PUNCTUM II. Ignorare haud debes, quod omnia in ministro Christi Domini prœdicare debeant; *sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent*, ait S. Hier. ad Nepot. Si autem sacerdos ubique debet esse vox talis, vel maxime esse debet in cathedra, ubi verbum Dei annuntiat; hic oportet illum clamare ad homines instar S. Joannis, *parate viam Domini*; abrumpite peccaminosa commercia, mutate vitam vestram, & facite fructus dignos pœnitentiæ: *ego vox clamantis in deserto; dirigite viam Domini*; declamare debet contra vitia & abusus; elevare vocem suam instar tubæ ad excitandum peccatores, & ad illos advertendos, quod in periculo versentur perdendi seipsos pro tota æternitate; *clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum.* If. 58. 1. Ut hoc modo prœdices, oportet, ait S. Franc. Salesius hæc tria habere, *bonam vitam, bonam doctrinam, & legitimam missionem*. Habesne qualitates istas? 1. esne vitæ irreprehensibilis? quid? audebisne annuntiare legem Dei, quœ tam sancta est, ore impuro? prœdicare virtutem aliis, cum tu vitiis subjaceas? *medice cura teipsum* Luc. 4. 23. 2. Sequerisne sanam doctrinam? persuasusne es, te nonnisi Evangelium Jesu Christi, & non opiniones hominum prœdicare debere? *tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam* Tit. 2. 1. 3.

Secu-

Secutuſne es vocantem Deum, antequam te ad miniſterium prædicationis applicaſti? conſului, ſtine Epiſcopum, vel alium quemdam pium ſacerdotem, utrum ad hoc capax es? quæ hæc temeritas, prœdicare velle, non vocatum ad hoc? *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Rom. 10. 15.

Si ſecutus es has regulas, Deum lauda, & inſuper hanc adjunge, quæ tibi ſervire poteſt ad bene celebrandum, nimirum, ut te coram S. altari præpares ad prœdicandum, ad eum confugiendo, qui ſolus debilitatem tuam confortare poteſt; *ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Pſal. 67. 35. Roga ipſum, ut ponat verbum ſuum in ore tuo, & ut tibi concedat illam ſapientiam, cui non poſſint reſiſtere omnes inimici ſui; *ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Luc. 21. 15.

* * * * * * * * * * * * * * *

FERIA SEXTA.

Ego baptizo in aqua; medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Joan. 12. 6.

DE COGNITIONE JESU CHRISTI.

1. Mundus eum non cognoſcit. 2. Obligatio Eccleſiaſticorum, ut eum mundo manifeſtum faciant.

PUNCTUM I. MUlti ſunt ex hominibus, quibus idipſum exprobrari poſſit, quod hic Judæis exprobravit S. Joan-

nes; *medius vestrum stetit, quem vos nescitis*; venit filius Dei in mundum, ut salvaret illum, & mundus noluit agnoscere salvatorem suum; opus ignoravit factorem suum, servus Dominum, mancipium liberatorem suum; quis hoc credat, nisi Evangelium de hoc certos nos redderet; *mundus per ipsum factus est, mundus eum non cognovit* Joan. 1. 10. Verbum incarnatum, erat verissima lux hominum, sed excæcati à passionibus suis homines, demersi in tenebris errorum suorum & peccati, non comprehenderunt absconsam sub velamine carnis nostræ lucem hanc; eluxit in medio tenebrarum hoc lumen; radios suos in omnem partem emisit per puritatem doctrinæ, per exempla sanctitatis, per miraculorum opera; nihilominus lux hæc incarnata, quæ à synagoga fuerat rejecta, quæque se repulsam vidit ab hominibus, eos exemplo animalium instruere, & docere hanc veritatem vult; *cognovit bos possessorem, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit*; dici potest hanc cæcitatem Judæorum etiam ad nos transiisse, Christus Jesus in medio est nostrum, & quidem modo longe clariori, quam fuerit inter Judæos, toto vitæ suæ tempore; est ille grande ac magnum objectum fidei nostræ; primaria & capitalis veritas religionis nostræ; porta, per quam intramus in Ecclesiam christianam; servimus, cognoscimus, adoramusne illum ita, ut deceret? fuitne stabulum illud bethlehemiticum, locus adeo frigidus

dus & pauper, ut est cor nostrum? fuitne ingratitudo mundi; qui eum in nativitate à se repulit, tanta, ac est indifferentia illa, in qua plerique christiani, imo & Ecclesiastici, quantum ad præcipua illius mysteria vivunt? non loquor hic de tot ignorantibus, qui nequidem sciunt, quid sit Jesus Christus, loquor de sapientibus hujus sæculi; examina illos, & invenies, etsi quam optime negotia sua tractare sciant, eos nec minimam ideam de Christo, de Evangelio, de religione habere; si illum quandoque ore confitentur, non tamen agnoscunt, ut illi serviant. & eum imitentur; *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* ait S. Paulus Tit. 1. 16. Quinam sunt autem illi, qui hanc eis adimere ignorantiam debent? clerici sunt, quos Deus pro prædicatoribus suis elegit ac ministris; *pro Christo legatione fungimur.* 2. Cor. 5. 20. Ut autem huic obligationi tuæ satisfacias, disce.

PUNCTUM II. Primarium hoc esse, ut ipse prius Jesum Christum bene addiscere & intelligere studeas; oportet, ut de te idipsum dici possit, quod de quodam sancto sacerdote olim dicebat S. Hier. Epist. 3. ad Heliodor. *Lectione assidua, & meditatione diuturna pectus suum bibliothecam fecerat Christi.* Verus ac bonus Ecclesiasticus in hoc debet gloriari, quod aliud non sciat, nisi Jesum Christum, ut hac scientia Dei pro nobis incarnati & mortui instructus, paratus & idoneus sit, alios in quacunque oc-

casione idipsum docendi; *non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum & hunc crucifixum.* 1. Cor. 2. 2. 2. ut ostendat hominibus extremam miseriam, in quam nos adducit peccatum, & necessitatem maximam habendi redemptorem; siquidem *natura filii iræ eramus.* Ephes. 2. 3. quo non obstante, Deus nos adeo amavit, ut filium suum unigenitum miserit in mundum, ut salvos faceret nos, *ut servum redimeres, filium tradidisti*; quanta misericordia! 3. explicare debet qualitates hujus salvatoris; & ante omnia explicare, quid sit Deus, qui factus est homo; Deus, plenus bonitate erga nos, qui nos amavit ita, prout ipsum amavit Pater suus æternus: *sicut dilexit me Pater, ita dilexi vos.* Joan. 15. 9. Hinc ultra progredi oportet ad pretium, quod pro redemptione nostra exsolvit; pretium hoc infiniti est meriti, quia sangvis est Dei, qui ad ultimam usque guttam pro nobis effusus fuit, ut nos lavaret à peccatis nostris; *in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum* Coloss. 1. 14. *hæc loquere & exhortare.* Tit. 2. 15. prædica hoc universo mundo, annuntia hoc populo, clericis & sæcularibus; prædica hoc peccatoribus, prædica personis Deo sacratis, nobilibus & pauperibus, magnis & parvis, ut omnes sciant, quod *charitas Christi urget nos.* 2. Cor. 5. Quomodo autem sciant se à charitate Christi urgeri, si de talibus nihil unquam loquaris? nihil proponas?

Re-

Reſolve igitur te hodie, nullam deinceps habendi concionem, quin de eo, quantum fieri poteſt, mentionem facias; & pro præparatione ad Miſſam procide coram Deo, eumque inſtanter roga cum S. Paulo, ut tibi hanc gratiam concedat, qua poſſis comprehendere cum omnibus Sanctis, quænam ſit latitudo, longitudo, altitudo, & profunditas myſterii incarnationis & amoris Jeſu Chriſti erga nos, qui omnem cognitionem tranſcendit, ut ita repletus hac divina ſcientia, etiam aliorum corda eadem implere valeas; *ut det vobis ſcire etiam, ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Epheſ. 3. 19.

****

DIE SABBATHI

Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. Joan. 1. 27.

DE HUMILITATE.

1. In quo conſiſtat. 2 Quanti à nobis æſtimanda ſit.

PUNCTUM I. POſſibilene eſt, ut iſta S. Joannis Baptiſtæ humilitas, nos non omnino in nihilum redigat? quo in loco nosipſos peccatores ponere debemus, ſi omnium hominum ſanctiſſimus, dignus non eſt procidere ad pedes Jesu, neque ſolvere calceamenta illius? quid aliud poſt hæc cum veritate de nobis ipſis dicere poſſumus? niſi illud prophetæ. Pſal. 38. *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Non poſſu-

possumus aliam facere orationem, quam ut in abysso nihili nostri nos contineamus; fateamur tantum, quod peccatores simus, & quidem majores quam ipsi credimus; & taceamus, vel si loqui volumus nonnisi ad petendam Dei misericordiam hoc fiat, ut hoc modo spem aliquam concipere valeamus, postquam illum toties offendimus; *ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.* Thren. 3. Hoc eligere debet anima, quæ vere humilis sit; sed & ipsa humilitas non in eo tantum consistit, ut quis hoc dicat, sed ut idipsum exerceat; humilitas, ait S. Bernardus, tract. de grad. Humil. virtus est, quæ christiano dat oculos spirituales, & dum eum facit cognoscere nihilum suum, ei verum contemptum sui ipsius affert; *humilitas est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.* Quando homo de seipso mensuram suam sumit, quando attendit ad id, quod est, & quod non est; si veros suos defectus comparat cum prætensis perfectionibus suis, tunc seipsum nihil amplius æstimabit; nihil sibi ipsi tribuet, neutiquam in se confidet, sed non nisi se ipsum contemnet. Itaque humilitas non consistit simpliciter, neque in actionibus; neque in verbis; facile est incedere inclinato capite, oculis demissis, appellare se peccatorem & miserabilem; sed hoc nondum est totum; oportet vilem de se ipso habere opinionem, se ipsum cognoscere & despicere. *Tota humilitas tua, ut cognoscas te.* Ait. S. Augustinus in Joan. tr. 25.

Quot

Quot ſunt, qui putant ſe humilitatem poſſidere, & non niſi umbram & apparentiam illius habent, *multi humilitatis umbram, pauci veritatem ſectantur*. Ait S. Hieronymus Epiſt. 2. an non ex numero iſtorum es? ſi quis tibi obſiſtat, ſi quis male de te loquatur, ſi quis contemnat, quid cogitas? quid ais? quid non facis, non ſolum ad te juſtificandum, quod quandoque neceſſarium eſt, ſed ad te vindicandum? quod nunquam permiſſum eſt, ut melius hanc virtutem cognoſcas, vide in puncto 2do, quantam de illa habere debeas æſtimationem.

PUNCTUM II. Omnia nos trahere debent, ad amplectendam & æſtimandam humilitatem. 1. Ipſa electio Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eam ut oportuniſſimum medium ſibi elegit, ad confundendam ſuperbiam diaboli, & ut nos reconciliaret Deo Patri ſuo, *ſemet ipſum exinanivit*. 2. Sollicitudo ipſius Dei, qui toties nos hortari voluit ad exercitium hujus virtutis, quia vix eſt pagina aliqua in Scriptura ſacra, ubi non dicat ſe ſuperbis reſiſtere, & humilibus dare gratiam ſuam, prout id ipſum adnotavit S. Auguſtinus de Doctr. Chriſt. l. 3. c. 33. *nulla eſt fere pagina ſanctorum librorum, in qua non ſonet; Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. 3. Continua adhortatio Apoſtolorum, qua præ cæteris hanc nobis virtutem inſpirare conantur; *omnes autem invicem humilitatem inſinuate*. 1. Petr. 5. 4. Exemplum ſanctorum, qui omnes amplexi ſunt humilitatem,

tanquam viam, qua ad cœlum pervenitur; *huic te, mi Dioſcore,* ait S. Auguſt. Epiſt. 118. n. 22. *ut tota pietate ſubdas, velim; nec aliam tibi ad capeſſandam & obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum tanquam Deus vidit infirmitatem; ea autem eſt prima, humilitas, ſecunda humilitas, tertia, humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem.*

Bene pondera has omnes rationes, ſine dubio te perducent ad veram humilitatem, & ad amplectendam illam, à qua forte hucuſque averſionem nonniſi habuiſti; & pro præparatione ad Miſſam, roga Jeſum, qui ſe ita humiliat, ut ad habitandum in te venire velit, ut tibi hanc gratiam faciat, debite æſtimandi virtutem talem, quam ipſe tantopere dilexit, & cujus in ſe ipſo nobis præbuit exemplum & praxim, *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Matth. 11. 29. Agnoſco Domine! quod tu ſolus ſis magiſter, qui docere poſſis nos hanc lectionem, quam nunquam alias bene apprehendere poſſem. Bone Deus, qui in nihilo meo ſimul extremam aliquam ſuperbiam conjunctam vides, miſerere mei; fac me, precor mitem & humilem corde, ut paupertatis ac miſeriæ meæ convictus, me ipſum contemnam, & tanquam nihilum me tractari patiar, ſequendo in hoc, hanc cujuſdam veri ſervi tui excellentiſſimam regulam: *ama neſciri & pro nihilo reputari.* lib. 1. imit. Chriſt. c. 2.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 1. Cor. 4. 1.

DE DIGNITATE CLERICALI.

1. Quomodo populus honorare clericos. 2. Quomodo ipsi clerici suam dignitatem conservare, debeant.

PUNCTUM I. ISta verba S. Pauli specialiter populum concernunt; docet fideles, qualiter ministros Christi Jesu considerare debeant. Ordinarie judicium de Ecclesiasticis ex præoccupatione sensuum, juxta qualitates humanas, fertur; & quandoque ex eo, in quantum nobis placent, aut etiam utiles nobis esse possunt, cum potius de iis ex judicio fidei, & secundum sublimem, in quo Deus eos posuit, gradum, sentire deberemus. Hic abusus irrepsit in Ecclesiam Corinthiorum, prout apparet ex ista Epistola, quam Apostolus ad eos direxit; si tamen præsentem plurium Christianorum morem attendimus, inveniemus sæculum nostrum minime ab hoc pernicioso errore exemptum esse, quod merito deplorare deberet; quicunque vere bonum Ecclesiæ, honorem ministrorum ejus, & salutem fidelium cordi habet. Huic igitur grandi malo remedium subministrat S. Paulus, dum vult; clericos, sacerdotes, & pastores animarum considerari non debere ut homines ordinarios, sed ut ministros Christi Jesu, & dispensatores mysteriorum Dei.

Igitur docet nos per hoc Apostolus, quod

tali ministerio fungentes, aliter, quam ex fide judicari non debeant; oportere in iis non nisi eas, quas fides nobis detegit considerare qualitates; nec minori eos habere in honore, quam prout fides nostra de iis judicat. Considerandi ergo sunt, ut ministri Dei, ut cooperatores magni negotii salutis nostræ; ut dispensatores mysteriorum, gratiarum & meritorum Christi Jesu; ut homines, qui de authoritate & sacerdotio Christi Domini participant; quorum sententia, quam in terra pronuntiant, in cœlo authoritatem obtinet, potestatemque habent illud & aperiendi & claudendi. Considerare oportet, quod si Ecclesia sponsa est Christi, ipsi sint custodes, & constituti ministri, ut pro defensione illius die ac nocte invigilent; *super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota nocte in perpetuum non tacebunt.* If. 62. 6. Si Ecclesia comparatur navi, clerici navarchi & rectores illius sunt, qui hanc navim dirigant, & qui in hanc sortem vocati sunt, ut sint cooperatores Dei ad salutem proximi, *Dei adjutores sumus.* 1. Cor. 3. 9. Denique si Ecclesia regnum Dei est, prout sæpius hoc in Evangelio asseritur, Ecclesiastici ministri illius sunt, quos magnus iste Rex cœli & terræ elegit, ut essent principes curiæ; *separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei.* Levit. 20. 26. Quicunque tali modo Ecclesiasticos consideraverit, facile sensus suos supergredietur, & nonisi cum reverentia de illis loquetur, si quos defectus habeant,

beant, tacitus apud ſe ingemiſcet; & cum prudentia ac circumſpectione eo rem hanc deferet, ubi remedium ſperari poſſit; nunquam tamen eo ſe adduci patietur, ut quid de æſtimatione & veneratione iis debita diminuat, quam character plane divinus, quo præditi ſunt, requirit. Ecce documentum, quod populus trahere debet ex iis, quæ S. Paulus hic dicit, *ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti &c.* Quantum vero ad nos, qui tales miniſtri ſumus.

PUNCTUM II. Conſideremus cum Petro Bleſſenſi, quod verba iſta S. Pauli, etiam ad nos dirigantur, *fratres, verba Pauli ſunt, quæ ad nos diriguntur.* Quia, ſi verum eſt, quod ſumus miniſtri Dei, ita vivere debemus, ut miniſterium noſtrum apud populum non vileſcat; *ſi nobis à Deo miniſterium creditum eſt, facite ſicut ipſe nos exhortatur, & docet: ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* Conſervemus eminentiam, & dignitatem ſtatus noſtri, non per faſtum quemdam humanum, talemque honorem & reverentiam exigendo, quem potentes hujus ſæculi, nimis cupide & zeloſe exigunt, ſed ſanctitate vitæ, quæ nos à reliquo populo diſtinguat. Hoc ipſum eſt, quod Eccleſia deſiderat, ut Epiſcopi clerum ſuum frequenter moneant; *moneant Epiſcopi clericos ſuos, in quocunque ordine fuerint, ut converſatione, ſermone & ſcientia commiſſo ſibi Dei populo, præeant, memores ejus, quod ſcriptum eſt: ſancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum.* Concil. Trid. Seſs. 14. de reform. proœm.

Et si scire cupis, in quo sanctitas hæc consistat? en verba concilii Tridentini: *levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Allaborare debent, ut non tantum vitent peccata mortalia, sed etiam venialia, & quidquid mali speciem habet; & eo tendere, ut virtutem in imminenti gradu acquirant, nec metam, aut finem perfectioni suæ ponant.

Esne talis? credis fortassis, quod magnus sanctus sis, quia peccata mortalia non committis? & ex hoc fundamento, nec minimum scrupulum tibi facis, si ludas, si tempus perdas, si distractus in oratione, parum modestus in peragendis sacris functionibus sis; si jocos proferas, si non adeo bene de aliis loquaris &c. Anne hoc appellas, dignitatem Ecclesiasticam per sanctitatem non vulgarem, tueri? quot sunt sæculares & laici, qui longe plura faciunt.

Pro præparatione ad Missam propone deinceps majore zelo laborare, pro adipiscenda perfectione status tui, alias jure tibi exprobrari poterit, quod tu ipse sis, qui ministerium tuum vile facias in populo, *dicetur vobis hodie: sacerdotum conversatio est populi subversio.* Petrus Blessensis. Serio itaque, de correctione tua cogita, neque expecta quousque te superiores severe corrigere, vel punire debeant; nemo se ipsum melius se ipso cognoscit. *Emendate igitur*, pergit Petrus Blessensis, *& corrigite, fratres dilectissimi actus vestros, nec expectetis*

tis correctionem alienam; unusquisque vestrum se novit; discutiat semetipsum, & excolat conscientiam suam, ut in ea colligat fructum vitæ.



FERIA SECUNDA

Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. 1. Cor. 4. 2.

FIDELITAS IN MINISTERIO SACRO

1. Quilibet punietur, aut præmium accipiet secundum fidelitatem suam. 2. Quisnam sit fidelis dispensator.

PUNCTUM I. NEque gradus, neque dignitas, quam minister altaris in Ecclesia obtinet, nec existimatio, quam sibi apud homines comparavit; neque talenta, quæ habuit, sed usus horum omnium mensura erit pœnæ vel præmii. Itaque non sufficit esse Episcopum, parochum, presbyterum, prædicatorem aut directorem, vel habuisse plurima talenta ad directionem animarum, vel reputationem in populo, ut quis à Deo præmium sperare possit; hoc principale, imo totum est, juxta Apost. ut quis *fidelis* dispensator inveniatur; quia omnes hæ dignitates, omnia ista talenta, tota hæc existimatio, timoris potius, quam fiduciæ materia & occasio sunt, siquidem non obstantibus hisce omnibus condemnabitur, qui inventus non fuerit *fidelis* dispensator. *Dicis mihi* (scribebat S. Augus. cuidam è suis discipulis)

ego sum dispensator salutis æternæ; verum est, quod talis sim sicut innumeri alii, quibus eadem cura familiæ divinæ incumbit; si hoc sum, prout debeo esse; si debite fungor officio meo, compensationem laboris recipiam; si autem non nisi coacte, & quia aliter non possum; hoc facio, id dispenso, quod mihi commissum est, quin ipse de hoc participem, quia etsi quis sit dispensator salutis per verbum Dei, & administrationem sacramentorum, non tamen propterea securus est se de hoc participaturum. Dantur boni dispensatores, pergit S. Pater, Epist. 260. ad Audacem edit. nov. *alias non diceret Apostolus, estote imitatores Dei, sicut & ego Christi, sed dantur etiam mali, alias non dixisset Salvator de Scribis & Pharisæis, quæ dicunt: facite; secundum autem opera illorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt. Multi ergo sunt dispensatores, per quorum ministerium pervenitur ad æternam salutem; sed quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, & inter ipsos fideles, in quorum numero ille, qui non fallitur, me computet; alius est sic, alius autem sic; sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei.* Terribilis plane veritas! bene ad eam attende; maxime si tibi cura animarum incumbat; & considera in puncto 2do, quisnam sit fidelis dispensator?

PUNCTUM II. Non est necessarium, ut Deo placeas, & salutem tuam opereris, ditatum te esse magnis talentis, aut fungi statu, & officio

officio honorato; tantum abest, ut potius, quo plus talentorum habes, plus pariter timoris habere debeas, ne iis abutaris; quo magis elevatus, ac in sublimi stas, eo plus timendum, ne cadas; sed sive parum, sive multum possideas, quemcunque locum in Ecclesia Dei teneas, superiorem sive inferiorem (siquidem nihil parvum aut modicum est in Ecclesia, ubi & minimus gradus supra meritum nostrum est) de hoc solummodo agitur, ut quis *fidelis* dispensator inveniatur. Quiscunque minister Jesu Christi sit, sufficit illi, si faciat, quod potest, & *fideliter* id exequatur, secundum mensuram donorum & talentorum, quæ à Deo misericorditer accepit. Hæc *fidelitas* includit respectu omnium ministrorum Dei in se obligationem, ut quis Deo *fidelis* sit in prædicanda veritate cum zelo quodam eandem animose defendendo, tràctando illam prudenter; *fidelis Jesu Christo*, honorando ministerium, quod nobis injunxit, sancta quadam libertate prædicando mysteria, & doctrinam illius, cum authoritate & incorrupte; applicando sacramenta gratiæ, & sanguinis ejus discrete & cum charitate. *Fidelis erga animas*, eas dirigendo per vias Domini, cum vigilantia, supportando eas sapienti condescendentia & conniventia; eas exhortando fortiter per bonum exemplum: *fidelis denique Ecclesiæ*, non quærendo dominatum, non divitias, non promotionem, sed procurando, ut regnet ille, cujus ministri sumus; & ut quis se

sem-

ſemper intra limites ſervi illius contineat. Felix ille Eccleſiaſticus, felix paſtor & ſacerdos, qui ita *fideliter* miniſterium ſuum implet; ſperare enim poteſt in hora mortis ſuæ intraturum ſe in gaudium Domini ſui *beatus ille ſervus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem* Matth. 24. 46. Sed eheu! quam rari ſunt ſervi ejuſmodi prudentes, ſapientes, & fideles! ut adeo melius te hodie ad Miſſam præparare non poſſis, quam ut inſtanter Divinum magiſtrum tuum rogites, ut te unum ex numero paucorum iſtorum facere dignetur: *quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore? &c. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Ibid.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA TERTIA.

Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die, ſed neque me ipſum judico: nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum; qui autem judicat me, Dominus eſt. 1. Cor. 4. v. 4.

DE JUDICIO HOMINUM

1. Contemnere debemus judicia hominum.
2. Et Dei judicia timere.

PUNCTUM I. QUando S. Paulus hic ait ſe parum curare, ſi à quopiam hominum, quiſquis ille ſit, judicetur, non ideo hoc dicit, quaſi indifferens fuerit in ſuo

modo

modo agendi, & converſandi reſpectu aliorum. Siquidem alibi aſſerit, *ſe omnibus omnia factum eſſe, ut eos Chriſto lucraretur*, ſed reſpectu ſui ipſius hoc dicebat, nimirum, quantum ad hoc, quod ipſum in particulari concernebat, parum ſe nimirum curare, quale de ipſo homines formarent judicium.

Eorum, qui alios judicant, ſalutis intereſt, ut non forment temerarium judicium; injuſtum, aut falſum, ſive dein in favorem, ſive in præjudicium illorum ſit, quos judicant; intactos nimirum eos relinquant, & tales, quales in ſe ipſis ſunt; ſi omnes ſimul conveniant ad laudandum nos, nihil prorſus adjicient meritis noſtris; conſpirent etiam ad nos calumniandum, pariter nihil de meritis noſtris auferent; tales ſemper erimus coram Deo, & in nobis ipſis, quales prius eramus ante tale judicium ſive favorabile, ſive calumnioſum, imo plus boni in nos reſultat ex malo, quam ex bono de nobis formato judicio, quia male judicantes, conferre aliquid poſſunt ad nos humiliandos, valde autem ordinarie ac frequenter contingere ſolet, ut quis ſupra alios ſe efferat. Quid igitur faciendum tibi? vide ac conare, ut ad exemplum Apoſtoli, ſupra hominum judicia (qui vitam tuam, & modum tuum agendi culpare poſſunt, vel per ignorantiam, vel ex malignitate, vel ex repentino animi impetu; quique adeo propenſi ſunt, ad cenſurandum quidlibet, ut miraculum quaſi ſit, ſi quis eorum cenſuram evadat) te ele-

ves: *mendaces filii hominum in stateris*; Psal. 61. 10. noli eos attendere, sed operare, ut decet, bonum ministrum: *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam* 2. Cor. 6. 8. Sed dum spernis judicia hominum, valde tibi time à judiciis Dei.

PUNCTUM II. Quamcunque favorabile sit judicium, quod homines de te formant; quamvis conscientia nostra nos non reprehendat, nullus tamen est christianorum, neque clericorum, qui non ad imitationem S. Pauli, sibi ipsi dicere, debeat, quod per hoc nondum justificatus sit, *nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Nullus est, qui non timere debeat, ne si actiones suæ, in judicio Dei examinentur, inveniatur aliquid, quod damnari possit; *qui autem judicat me, Dominus est.* Ita comparatus erat Apostolus; ita omnes sancti sentiebant; quod notat S. Gregorius I. 5. in Job. c. 28. *Sæpe homines multum æstimant actus suos, quia ignorant, quam exactum & severum sit judicium, quod de iis fert Deus; si tamen se elevant usque ad supremum tribunal Dei, incipiunt perdere hanc suam prætensam securitatem, quam ipsis sua inspiravit præsumptio, & tanto magis in Divino conspectu trepidant, quanto nec bona sua digna ejus examine, quem conspiciunt, pensant.* Hinc (pergit. S. Greg.) *David, qui adeo in virtutibus & sanctitate, profecit, clamabat ad Deum,* Psal. 34. *omnia ossa mea dicent Domine, quis similis tibi? acsi dice-*

diceret, non habet caro mea, quod loquatur in conspectu tuo, quia cogitur infirmitas manere in profundo silentio, coram Tua Divina majestate; sed ossa mea laudem Tuæ infinitæ magnitudinis persolvunt; quia ipsa quoque, quæ esse in me fortia credidi, tua consideratione contremiscunt. Ibid. Omnes christiani ad hanc considerationem contremiscere debent; sed vos ô sacerdotes & pastores animarum majori ratione timere debetis, quam alii, siquidem in tali statu & officio constituti estis, quod plane vel ipsos Angelos timore concutere posset, in cujus administratione, etiam sanctissimi obligantur quotidie in Missa fateri se reos innumerorum peccatorum, offensarum & negligentiarum. Time igitur judicium illius, qui ut te judicet, alium non consulet nisi suam veritatem, obligationes tuas, usum gratiarum tibi concessarum, modum tuum vivendi, ac conversationem tuam. Timor iste serviat tibi ad hoc, ut judicia hominum contemnas, & hoc solum cures, ut illi placeas, qui te ita judicabit, quin falli possit, *quique potestatem habet & corpus & animam perdere in gehennam.* Accede cum hoc tremore ad altare, & roga judicem tuum, ut tecum faciat misericordiam; *judica judicium meum & redime me.* Psal. 118. v. 154.

FERIA QUARTA.

Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abs-

scondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc erit laus unicuique à Deo. 1. Cor. 4. 5.

DE JUDICIO TEMERARIO.

1. Quomodo in illud quis cadat. 2. Quam injustum sit.

PUNCTUM I. NOn prohibet S. Paulus, per hæc verba, judicare proximum, sed, ut non ante tempus judicemus; *nolite judicare, ante tempus*, id est, antequam de veritate clare constet. Si Deus nobis rem aliquam clare demonstret, per ipsum eventum, vel per alias convincentes rationes, tunc permissum est judicare de moribus confratrum nostrorum, quoad omnia, quæ clara & innegabilia sunt, sed non ultra. Qui hanc regulam non observat, non nisi temerarie de proximo judicat, & coram Deo reus efficitur secundum proportionem & gravitatem rei, de qua judicat. Igitur non licet judicare de rebus obscuris & incertis; & hæc quidem longe plura sunt, quam nobis imaginemur, quia ut ait S. Augustinus, in Psal. 138. n. 16. tempus vitæ hujus est instar noctis, ubi pauca cognoscimus cum certitudine; *nox est enim, quamdiu ista vita agitur*, neque cognoscimus ex fundo corda aliorum neque proprium cor nostrum; intentiones aliorum nobis absconditæ sunt; difficulter etiam proprias agnoscimus; quæ omnia nos instruunt; quod non satis cauti & continentes esse possimus à judicando proximo: *quia in hac vita difficile est,*

ut nos

ut nos ipsos noverimus, pergit S. Augustinus. *Quanto minus debemus de quoquam præproperam ferre sententiam.*

Passim videmus etiam eos, qui spirituales esse videntur, temere & præcipitanter ex incertis conjecturis, ex relationibus vagis, & indiscretis narrationibus, ex quadam naturali inclinatione, & pruritu loquendi, & similia aliis communicandi, alios judicare, eosque spiritualiter occidere, postquam se ipsos prius occiderunt. An non is ipse tuus quoque est agendi modus? pete veniam à Deo imprudentiæ tuæ præteritæ, & in 2do puncto disce, quid te oporteat facere, ut hunc defectum corrigas.


PUNCTUM II. Considera bene injustitiam, quæ in hujusmodi judiciis temerariis intervenit; ad judicandum ut oportet, duæ qualitates absolute necessariæ sunt. Debet quis 1. habere potestatem seu authoritatem judicandi: *nullus major defectus, quam potestatis*. 2. Debet habere lumen sufficiens, & bonam causæ cognitionem; porro qui temere judicat proximum suum, nec unam, nec alteram habet. Quam authoritatem habet, ut præveniat judicium Jesu Christi, & servos illius condemnet? *tu quis es, qui judicas alienum servum; Domino suo stat aut cadit.* Rom. 14. 4. Quis es tu, ait S. Paulus, ut audeas censurare alienum servum? si cadit, aut firmiter stat, nonne hoc Dominum illius concernit? si bene vel male facit, non est tuum illum justificare, vel condemnare,

sed

sed Jesu Christi, qui & tuus, & illius futurus est judex: *unusquisque nostrum pro se rationem reddet*. Ibid. v. 12. Bene nota verbum hoc *pro se*, & non pro aliis, quare ergo occuparis in censurando vitam alienam? cum potius præparare te deberes ad reddendam rationem de tua. *Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu, quare spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi*. Ibid. v. 10. Secundo, qui temere judicat, hoc facit absque sufficienti causæ cognitione; quia cum foris non appareant probationes sufficientes, non potest de internis judicare, quorum cognitionem Deus sibi soli reservavit; neque penetrat secreta cordium, neque videt intentionem, quæ quasi anima est actionis; itaque per suam præcipitantiam & ignorantiam exponit se periculo condemnandi illum, quem Deus justificat; & contemnendi eum; qui vere apud Deum in honore est; ita Christus dixit ad Judæos: J. 8. 49. *honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me*. Bene expende has duas rationes; sufficiunt certe ad agnoscendam injustitiam judicii temerarii. Propone deinde in judicando esse paulo exactior, & circumspectior; *causam, quam nesciebam*, dicebat Job. c. 29. 16. *diligentissime investigabam*. Ita & tu fac; *si opus non potes, intentionem excusa*, ait S. Bernardus Serm. 40. in Can. *puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum, & dicito apud temetipsum, vehemens fuit nimis tentatio; quid de me illa fecisset, si*

acce-

accepisset similiter in me potestatem. Pro præparatione ad Missam roga Deum, ut effundere dignetur in cor tuum charitatem; cùm illa semper bene judicabis: sine illa non nisi *temere* & præcipitanter. *Charitas non agit perperam*, ait Apostolus & S. Augustinus, *charitas est quæ sola bene operatur.* 1. cor. 13.



FERIA QUINTA.

Sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, in deserto. Luc. 3. v. 2.

DE VOCATIONE.

1. De necessitate vocationis ad statum Ecclesiasticum. 2. Quænam sint signa hujus vocationis.

PUNCTUM I. BEnedicta sit divina providentia, quæ nobis tam clare hic indicat necessitatem vocationis ad statum & officium ecclesiasticum. Quid? Sanctus Joannes, qui ab utero matris suæ segregatus & consecratus ad obeundum officium præcursoris Messiæ, quique triginta annos transegit, in continua pænitentia, & recollectione spiritus, qui potius angelus, quam homo erat, exspectat nihilominus novam vocationem, & missionem S. Spiritus, & expressam ordinationem à cælo ad exercenda munia ministerii? & nos, qui forte vitam ab infantia usque duximus omnino dissolutam, *alienati peccatores à vulva.* Psal. 57. 4. Nos, inquam, audemus nos ingerere in munia

nia ecclesiastica? prædicare evangelium? suscipere in nos curam animarum, & subire periculosissimas functiones vocationis nostræ? deplora hunc abusum nimis frequentem & communem in Ecclesia; & certus esto, neminem salutem suam operari, & consequi posse in tali statu, ad quem quis vocatus non est; *à Domino dirigantur gressus viri.* Prov. 20. Et si directoris spiritualis officium tibi incumbit, inspira aliis, qui pro consilio ad te veniunt, hanc veritatem, ut per continuas preces instanter voluntatem Dei cognoscere procurent, eis cum S. Apostolo Paulo Ephe. 5. 17. dicendo, *nolite fieri imprudentes sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei.* Si autem vocatio ad quemcunque alium statum necessaria est, & in quacunque vitæ conditione requiritur, sine dubio multo magis est necessaria pro statu clericali. Verba ista S. Pauli, quæ tam frequenter audisti, sufficiant ad te convincendum de hac veritate; *nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hebr. 5. 4. Christus Jesus, Sanctus Sanctorum, non se ipsum ingessit in honorem Pontificatus sui, sed exspectavit, ait apostolus, quousque à Patre suo ad hanc dignitatem vocaretur; quis non putasset, si quemquam; certe ipsum Dei filium, circa hoc fore dispensatum? nihilominus & ipse exspectare voluit, quousque à Patre suo audiret, *tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech; sic Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret.* Ibid. Eritne

post

post hæc, qui secum ipso dispensare audeat in hac lege ab ipso Deo stabilita, perveniendi ad sacerdotium, tam in veteri, quam novo testamento? his perpensis dic ex animo: *scio Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos*, & in puncto 2do disce.

PUNCTUM II. Quænam sint signa hujus vocationis; en aliqua, super quibus te examinare poteris. 1. Qui ad statum clericalem aspirat, vitæ debet esse irreprehensibilis: *considerate viros boni testimonii*, dicebant Apostoli Act. 6. 3. loquendo de electione septem Diaconorum; talem igitur oportet esse *pudicum*, quia deinceps continere debebimus, & ducere vitam castam. *Sobrium* & gravem, modestum, inimicum litium, seu processuum, non intentum lucris, minime violentum, sed æquum, moderatum, contentionibus minime deditum, prout S. Paulus ait. 2. Oportet tales habere qualitates, & talenta tam corporalia, quam spiritualia, *qui judicio Episcopi sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis*, ait concilium Tridentinum. 3. Debet habere puram intentionem, hoc est, non debet amplecti statum clericalem ex superbia, avaritia, amore inordinato ad otium, neque ex ullo alio motivo humano, sed præcise ad eum finem, ut ipse sanctus sit, gloriam Dei promovere, proximum lucrari, & se ipsum in servitium ecclesiæ insumere valeat. 4. Oportet habere spiritum clericalem, id est, debet habere magnam

de

de statu nostro æstimationem, specialem propensionem ad omnes virtutes illas, quæ ipsi conveniunt; magnum amorem erga functiones ejusmodi, & ut eas facile & bene exequi valeat. Denique ultimum signum, ut accedat electio seu approbatio Episcopi aut alterius sapientis & prudentis directoris spiritualis, qui quasi interpres sit voluntatis divinæ circa nos; *unges eum, quem monstravero tibi.* 1. Reg. 16. 3. Quicunque nunc demum sis, qui statum hunc clericalem amplecti vis, examina te ipsum super hoc. O! si omnes hoc fecissent, certe ecclesia non tot haberet ministros inutiles, à quibus dehonoratur, ubi otiositas, minimū ex omnibus peccatum apud illos est! non tot darentur beneficiati, qui religioni nostræ, grave præjudicium afferunt; nec tot pastores animarum, qui in causa sunt, cur nomen Domini inter infideles blasphemetur. Ah Domine! cujus solius est eligere tibi ministros, fac, ut nullus sibi ipsi sumat hunc honorem, si non sit à te vocatus. Hanc à te, o Domine! gratiam peto pro bono ecclesiæ tuæ, quam adeo dilexisti, ut filium tuum unigenitum elegeris, ut esset Pontifex illius; noli quæso permittere, ut lupi & latrones aut mercenarii societatem ineant cum pastore tam sancto! *protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Psal. 83. v. 10.

Præparationem ante, & gratiarum actionem post Missam conformiter ad ista instrue, & dic: *ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt*, Esther. 14. v. 11.

FERIA SEXTA.

Et venit, in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Luc. 3. 3.

DE FIDELITATE VOCATIONI DEBITA.

1 Non sufficit vocatum esse, sed fidelem vocationi suæ. 2. Media, ut quis se fidelem exhibeat.

PUNCTUM I. S. Joannes postquam verbum Domini, è cœlo audivit, quo functiones ministerii sui aggredi jubebatur, statim obedivit, & incepit à deserto Judææ, ubi vitam suam hucusque transegit, in omnem regionem circa Jordanem prædicare baptismum pœnitentiæ, eumque Judæis administrare in remissionem peccatorum, quam solus Jesus Christus dare poterat. Mirare hic *fidelitatem* sancti hujus præcursoris, circa vocationem suam, & scito, minime sufficere te à Deo vocatum esse ad talem statum, si non exacte implere studeas ea, quæ vocationis & officii tui sunt. Saul fuit quidem vocatus, sed quia voluntati Dei inobediens erat, misere fuit reprobatus. Judas fuit quidem ab ipso Christo Jesu vocatus; scis autem, quid de illo dixerit Salvator; Joan: 6. 71. *nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est.* O quot sunt! qui quidem videntur vocati, & habere bonam intentionem, qui tamen vocationi suæ non satisfaciunt! vocati quidem sunt, ut custodes vineæ Domini, ut eam excolant, tamen idipsum facere negligunt: *posuerunt me custodem in vineis, & vi-*

neam

neam meam non custodivi. Cant. 1. 5. Quamvis ergo signa quædam vocationis tuæ habeas, noli illis acquiescere, magnæ tibi esse debet consolationis, vocatum te esse ad statum tam sublimem & sanctum; sed quæ damnatio te manet, si huic gratiæ non respondeas, & infidelis inveniaris: *obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino*, ait Apostolus, *ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate &c.* Et ad hunc effectum considera in puncto 2do media, ut te fidelem exhibeas.

PUNCTUM II. Media ad hanc tuam vocationem comprobandam, sunt 1. *Oratio*, quia Dei est, ad finem id perducere, quod per gratiam suam in te cœpit, *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Philip. 2. 13. 2. *Praxis* seu exercitium virtutum & bonorum operum statui tuo convenientium; hoc est documentum, quod tibi Princeps Apostolorum dat, quando ait 2. Petri. 1. 10. *Satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* 3. *Fuga* omnium eorum, quæ perfectioni, & sanctitati status tui obsistere possent, ut sunt societas, & negotia sæcularia, studia prophana, modus agendi & vivendi sæcularis & mundanus, *fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* v. 4. Ultimum denique medium est *Perseverantia*; *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Ibid. Si inconstans & irresolutus es, quid boni à te sperari possit? si au-

ſi autem fideliter in ſtatu, in quo Deus te poſuit, perſeveraveris, qualis & quanta pro te in hora mortis conſolatio! dicere tunc poteris cum S. Paulo; non utcunque ſtatui, & obligationi meæ ſatisfacere ſtudui, ſed ſecundum menſuram gratiarum, quas accepi, operatus ſum, ad ſalutem aliorum, quin propriam neglexerim; certavi pro juſtitia & veritate; *bonum certamen certavi*, 2. Tim. 4. meum *curſum* fideliter *conſummavi*; adverto, quod brevi migraturus ſim, & ſimilis ſum victimæ, quæ jam aſperſa eſt, *ecce enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus judex*. His ſanctis cogitationibus munitus; communica hodie, & pro præparatione ad Miſſam, & gratiarum actione, offer te Jeſu Chriſto, tanquam fidelem miniſtrum, & paratum in omnibus ei obediendi. O Jeſu! per illam tuam, in SS. Euchariſtia perſeverantiam, qua non ceſſas glorificare, & honorificare Patrem Tuum, ac pro nobis orare, concede mihi conſtantiam & firmitatem in bono. O Domine! potius mori volo, quam ut fidelis eſſe deſiſtam; hanc à te gratiam peto, neque aliud à te, tota vita mea petam; *non dimittam te, niſi benedixeris mihi*. Gen. 32. 26.

* * * * * * * * * * * * * * *

PRO VIGILIA NATIVITATIS

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Luc. 3. v. 4.

DISPO-

DISPOSITIO AD FESTUM NATIVITATIS

1. Obligatio præparandi se ad hoc festum.

2. Quænam sint hæ dispositiones seu præparatio.

PUNCTUM I. AD utilitatem nostram, trahamus instructionem S. Joannis, quam Judæis dedit, ut eos induceret ad præparandas Domini vias, & ad disponendum se ad adventum Messiæ: *parate viam Domini.* Duœ rationes obligant nos, ad rite recipiendum Dominum nostrum Jesum in hoc magno Nativitatis Domini festo; venit nasci *pro nobis*, en primam! vult nasci *in nobis*; en 2*dam*! si vel parum attendis has duas rationes, quid non facies, ad digne excipiendum tantum hospitem, qui non obstantibus tot miseriis nostris, nihilominus dignatur nos visitare; qui se unire vult naturæ nostræ, & esse victima generalis pro toto genere humano? *qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis.* Quasnam dispositiones non requirit à nobis, hoc magnum sacramentum amoris & bonitatis Divinœ erga homines? prout illud appellat S. Paulus, 1. Tim. 3. *sacramentum amoris & bonitatis*, quod evidenter apparuit in carne, quam assumpsit Deus pro peccatis nostris, sacramentum amoris & bonitatis per quod justitia & sanctitas, quæ erant in Deo, nobis communicatæ fuerant; cujus angeli primi, & primarii testes fuerunt; quod annuntiatum & publicatum gentibus, cujus fides per totam terram propagata, ac modo in cœlo objectum est

nostrœ

noſtræ æternœ beatitudinis: & *manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria.*

Altera ratio, quæ te movere debet, ad ſancte celebrandum hoc feſtum, & ad te dignum reddendum gratiis, quas Deus hoc ſancto tempore, animabus bene diſpoſitis & paratis communicat eſt, quod Dei filius non alia de cauſa, in mundo naſci voluerit, quam ut naſcatur in cordibus noſtris, eaque convertat; *in hoc apparuit charitas Dei in nobis,* ait S. Joannes 1. Joan. 4. 9. *quoniam miſit filium ſuum Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Omnem igitur conatum adhibe, ut fructum referas ex hac ipſius Nativitate, *parate viam Domini.*

PUNCTUM II. *Rectas facite ſemitas ejus* En diſpoſitiones, quas à te requirit Deus! viæ, quas dirigere debes, inclinationes cordis tui ſunt, à quibus peccatum abeſſe debet, ſi forte malæ cuidam conſvetudini addictus eſſes, oportet illam abjicere, alias nullam partem habebis ex meritis Nativitatis ſalvatoris tui, *Chriſtus vobis nihil proderit.* Anne ità cœcus ſis, ut audeas cor plenum peccaminoſis paſſionibus uſque ad pedes ſanctuarii afferre? an non idipſum tibi conſcientia tua exprobrat, quod olim ad infelicem quemdam Diaconum dixit S. Hieronymus, qui ſipſum locum ſacrum nativitatis dominicæ in Bethleem dehoneſtavit? O

se miserabiliorem omnibus hominibus! an non formidas, ne infans Jesus testis impudicitiæ tuæ, te è cunis suis videat, & amaras propterea lacrymas profundat? *O infelicissime mortalium! non times, ne de præsepi vagiat infans?* propone igitur, non solum conversionem tuam in hoc festo, sed quod velis desistere etiam ab omni inordinata affectione, ut ita conformis fias Christo Jesu, qui ad hoc venit, ut pœnitentiam pro nobis ageret, per paupertatem, humiliationes, calamitates, & ærumnas, quas ultro amplexus est, eundem animum & affectiones etiam pœnitentibus inspirá, si conffessarius es. Pro communione, uni te cum illo, qui venit, ut se tecum uniret; & offer hunc divinum Filium æterno Patri, ex toto corde, quod plenum sit amôre & gratitudine; profundè penetra magnitudinem miserationum illarum, quarum hac felici nocte memoriam celebramus, in qua liberati sumus à tyrannide diaboli, & servitute peccati. *O Juda, & Jerusalem nolite timere! cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum,* 2. Paralip. 20. 17.

****

PRO FESTO NATIVITATIS D. N. J. C.

Natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Luc. 2. v. 11.

1. Adoremus. 2. Et imitemur infantem Jesum.

PUNCTUM I. EAmus in spiritu usque Bethleem, & conjungamus nos, istis

istis pastoribus, quos verbum incarnatum, pro suis primis adoratoribus elegit; & adoremus una cum ipsis, interiorem animæ Jesu Christi dispositionem, in paupertate nativitatis suæ, in contemptu & repulsa, quam à toto mundo passus est; uno verbo, in hac sua infantia, quæ aliud non est, nisi schola humilitatis, ut ait Augustinus serm. 13. *omnis hujus nativitatis schola, est humilitatis officina.* Prostrati ad pedes divini hujus infantis, discamus esse infantes ut ipse; pauperes ut ipse; amare oblivionem & contemptum nostri, & privationem omnium creaturarum, ut ipse; rogemus & obtestemur ipsum, ut per gratiam suam in cordibus nostris nasci dignetur, ad operandum in nobis omnes hos effectus. Non obliviscamur ante omnia harum primarum suarum lacrymarum, quas effundere cœpit pro peccatis nostris, & quæ solæ nos eripere potuere à planctu illo æterno & infructuoso, in quem incurrissemus in inferno, nisi ille factus fuisset homo, ut nos inde liberaret. Sed perfectissima norma orationis, quam hodie imitari possimus, illa est, qua Beatissima Virgo & S. Joseph usi sunt hodie, qui infantem Jesum contemplabantur instar duorum Cherubin propitiatorium arcæ respicientium, quæ non nisi figura illius erat. Mundus ex toto evanuit, ex illorum memoria; unice intenti & occupati erant in consideratione verbi, quod se ipsum exinanivit, non verbis, non canticis, hoc ipsorum orationis exercitium

constabat, sed profunda admiratione & silentio, præcise interioribus motibus suis, quos sentiebant, indulgendo, quos Divinùs hic infans, in cordibus eorum causabat. Studeamus pariter illum honorare. Adoro te Divine infans, ut supremum magistrum, & Dominum meum, secundum omnem relationem, quam mecum contrahere voluisti; secundum omnes excellentias, & humiliationes tuas, quibus pro salute mea, in hac nativitate te exposuisti. *O Nativitas supra naturam, sed pro natura! miraculi excellentia superans, sed reparans virtute mysterii!* S. Bern. in vig. Nat. Serm. 1. Adoro infinitum hunc amorem, qui te de cœlo descendere fecit, & omnibus miseriis nostris exposuit; agnosco bene necessarium mihi fuisse talem medicum, ut à vulneribus animæ meæ curarer; *magnus de cælo venit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus.* S. Aug. Serm. 59. de V. B.

PUNCTUM II. Postquam adoraveris infantem Jesum, applica te ad illum imitandum. Uni igitur illud modicum pœnitentiæ tuæ, cum illis, quæ Divinus hic infans passus est. Nascitur in stabulo media hyeme, & noctu, privatus omnibus omnino commoditatibus hujus vitæ. *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Luc. 9 58. Qualis pœnitentia! repulsus est à toto mundo, & à proprio populo suo; obligatus ad inhabitandum locum, ab animalibus sibi accomodatum; *in propria venit, & sui eum*

non

non receperunt. Joan. 1. Qualis humiliatio! positus est in præsepio, & captivus inter fascias tenetur; quanta paupertas; sed qualis, & quanta instructio pro nobis! ait S. Bern. ut eum imitemur, *quanto pro me vilior, tanto mihi carior*; Bernard. ibid. Sinamus nos saltem ligari, levibus regulis, & præceptis nostris, & procuremus nos ita unire, per hanc praxim, cum Christo Jesu, pannis involuto & ligato; sed ante omnia imitemur silentium ipsius, quod non modicum conducet ad continendum nos, in modestia & recollectione, quam à nobis tam magnum festum exigit; quodque servire nobis potest ad expianda innumera peccata, per linguam, quæ est universitas iniquitatis, commissa.

Domine Jesu, siquidem pro me nasci dignatus es, ah fac! ut hæc tua nativitas, ad novam & miliorem vitam, me faciat renasci, exspoliet me veteri homine, & illo spiritu novo me repleat, quem in terras tecum deportasti. Extingue in corde meo amorem creaturarum; fac, ut ex integro renuntiem impietati, & sæcularibus desideriis; *apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri, omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & juste, & pie vivamus, in hoc sæculo, exspectantes beatam spem* Tit. 2. v. 11. 12. Ecclesia ad contestandum suum gaudium ordinat, ut tres à quolibet sacerdote hodie legantur Missæ; quia vult, ut Dominus Jesus, in manibus sacerdotis sacramentaliter nascens, à

nobis adoretur, & triplex illius nativitas repræsentetur. Prima est, qua ab æterno è sinu Patris sui, fuit genitus; 2da, quam hodie è sinu virgineæ matris, accepit; tertia, qua in cordibus nostris per gratiam suam nascitur. Venerare has tres nativitates, per ternam communionem tuam, nihil enim Deo gratius est, quam si vera & sincera pietate ac devotione ad illum accedas: *calix meus inebrians, quam præclarus est.* Psal. 22. v. 5.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

PRO FESTO S. STEPHANI PRIMI MARTYRIS.

Meditatio.

Stephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Act. 6.

1. Gratia & fortitudo veritatis in ore Stephani.
2. Gratia & fortitudo charitatis in corde ipsius.

PUNCTUM I. QUamquam acta Apostolorum expresse non referant, quæ nam fuerint hæc prodigia, quæ fecit S. Stephanus, postquam in Diaconum fuit ordinatus, nihilominus facile colligi potest fuisse gratiam & fortitudinem, qua prædicavit veritates evangelicas. Et vero, quod majus prodigium, quam persvadere filiis Synagogæ, ut adorent eum, quem paulo ante crucifixerunt, illisque demonstrare, quod nulla eorum sacrificia à peccatis eorum, liberare eos possent; neque aliud superesse remedium, eorum veniam obti-

obtinendi; nisi ut laventur in sangvine Jesu Christi, mediante baptismo illis applicando. Qui adeo felices erant, ut zelosum hunc Levitam audire potuerint, sentiebant cor suum intus sibi accendi & inflammari, quando ipsis explicabantur scripturæ; & sanctè impatientes erant, quousque dare possent Jesu Christo reciprocum amoris in illum sui testimonium, reddendo sangvinem pro sangvine, tolerantiam pro tolerantia, vitam pro vitâ. Quod si S. Stephanus ex una parte, nescio quid attractivi habuit, quo corda, adinstar magnetis ferrum attrahentis ad se trahere potuit, habebat insuper etiam ex altera parte invincibilem vim adamantis, ad resistendum eis, qui errores suos defendebant, ad detegendum eis imposturas illorum: ut maligni fuerint ejus inimici, minime tamen resistere potuerunt sapientiæ & spiritui, qui in eo loquebatur. Veritas, quam illis annuntiat, eos conturbat, fulminat, ad terram dejicit, & plenum de illis triumphum reportat, Compara jam zelum tuum, cum zelo illius. Quem ardorem habes in defendenda veritate? ah quoties eam turpiter deseris! ut hominibus complaceas, eorumque passionibus peccaminosis condescendas? deplora hæc coram Deo; & roga illum, ut fortitudinem tibi in ejusmodi occasionibus, concedat, ut stare & pugnare valeas contra inimicos veritatis & salutis tuæ: *nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis.* S. Aug. l. 2. de Trin. Proœm.

PUN-

PUNCTUM II. Cum nihil haberent inimici S. Stephani, quod sermoni hujus S. Prædicatoris opponerent, ad hoc se resolverunt, ut illum lapidarent. Mirare hic gratiam & fortitudinem charitatis, in corde illustrissimi hujus martyris respectu inimicorum suorum. Carnifices eum adoriuntur lapidibus, ille vero se contra illos non aliter obarmat, quam precibus; & quomodo pro eis orat? non satis est, quod undique in eum convolantibus lapidibus, tantum ille animi & libertatis habeat, pro iis orandi; oportet, ut etiam sui ipsius oblitus fuerit: ait quidam ex SS. Patribus (Aug. Serm. 29. de verb. Mich. edit. nov.) ut alterius, quam inimicorum suorum, non esset memor; oportuit eum plus fecisse pro iis, quam pro se ipso, illorumque salutem ardentius postulasse, quam propriam; quia non nisi erectus stabat, quando pro se ipso oravit; in genua autem suâ procidit, & in terra prostratus orabat pro inimicis suis, per quod clare indicavit, magis se tangi peccatis persecutorum suorum, quam iis, quæ ab ipsis sibi toleranda erant. Et quid petit pro eis in oratione sua? *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Obtestatur salvatorem suum, ut faciat illis secundum misericordiam suam, qui adeo inhumaniter secum procedebant; vitam eis precatur, qui ei mortem inferebant; sanguinem suum pro iis offert, quem illi effundunt; & oratio illius adeo efficax est, ut conversionem Sauli impetraverit, atrocissimi hostis illius,

illius, qui vestimenta illorum, à quibus lapidatus fuerat, custodiebat. *Nam si Martyr Stephanus non sic orasset*, ait S. Augustinus Serm. 382. alias 4 de Ss. *Ecclesia Paulum hodie non haberet; sed ideo de terra erectus est Paulus, quia in terra inclinatus, exauditus est Stephanus.* O charitatem! quam omnes aquæ tribulationum extingvere non potuerant, quis se cohibere possit, quin te imitetur? quodnam cor adeo durum sit, quod post tale exemplum odium aliquod contra proximum suum fovere audeat? depone hic omnem, te ipsum vindicandi sensum & animum, qui in corde tuo nasci posset contra eos, à quibus te forte offensum credis; & si accedens ad altare, memineris, quod frater tuus jure contra te conqueri possit, dimitte munus tuum, & reconciliare fratri tuo, ita enim expresse ordinat Christus, neque aliter præparatus unquam celebrare aut communicare potes. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare; & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5. v. 24.



PRO FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ

MEDITATIO.

Discipulus, quem diligebat Jesus. Joan. 21.

S. JOAN

S. JOANNES ERAT DISCIPULUS.

1. Summe dilectus à Jesu. 2. Et summe diligens Jesum.

PUNCTUM I. S. Joannes, quem hodierna die venerando colimus, agnoscitur in Evangelio ex hac qualitate, quod sit discipulus, quem Jesus diligebat, &, ut hoc ipsum nobis persvadeamus, alio opus non est, quam ut ad id advertamus, quod in ultima cœna, & in monte Calvariæ gestum est. In cæna requiescit supra pectus ipsius Domini Jesu. O quanta felicitas, pedes Jesu hœreditas & pars sunt Magdalenæ; thronus gratiæ & asylum peccatorum; ipsius manus amplecti solebant parvulos, qui ad eum ducebantur; ipsis leprosos & cæcos tangebat; oculi ejus unico solo obtutu, cient lacrymas ex oculis S. Petri, & infidelitatis suæ eum admonent. Sed pectus amorosum Jesu, vera pars & hæreditas est S. Joannis, & tanquam lectulus, super quo, dilectus Domini discipulus, raquiescit. *Dominici pectoris particeps.* S. Aug. de consen. Evang. l. 2. c. 4. O quis edicere valeat abundantiam luminum! quæ ex hoc pectore hausit, quod est sanctuarium amoris, ubi reconditi sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei.

Secundum privilegium, quod à liberalissimo Domino accepit S. Joannes, fuit in cruce, ubi Jesus illi dedit matrem suam pro matre per tale testamentum, quod omnium erat solemnissimum & sacratissimum, dicit matri suæ; *mulier*

ecce

ecce filius tuus; deinde dicit diſcipulo; ecce mater tua. Joan. 19. 26. Salvator propediem ſpiritum exhalaturus de omnibus, quæ habuit, diſponit, ſpiritum ſuum Patri conſignat, ſuum ſangvinem hominibus, paradyſum bono Latroni, gratiam ſuam Eccleſiæ; ſed ſupereſt adhuc mater, & hoc erat donum S. Joanni datum; *matrem virginem virgini commendavit.* O magne Sancte! quas gratias & benedictiones ex hac dignitate tua traxiſti, quam tibi vel primus Angelorum invideat; quantæ puritatis virginitas tua exſtitit, dum pro matre, virginem adeo puram accepiſti; in quantum accrevit amor tuus, dum pro matre, matrem pulchræ dilectionis acquiſiviſti! quantum creverunt lumina tua, ſiquidem mater tua facta eſt, mater ſolis juſtitiæ; eſto patronus noſter & interceſſor ad Jeſum, qui tibi prorſus ſingularia amoris in te ſui dedit ſigna, quibus non minori fidelitate reſpondiſti.

PUNCTUM II. Si Jeſus Joannem ſpecialiter dilexit, S. Joannes pariter ac reciproce ex toto corde & ex tota anima Jeſum dilexit. Amor diſcipuli iſtius erga magiſtrū ſuum, fuit *amor conſtans*; ſemper illi fidelis fuit, ſecutuſque eſt illum uſque ad pedem crucis, dum interim reliqui Apoſtoli, relicto eo, fugerunt. Amor ipſius ſemper fuit *ardentiſſimus*; lege libros ſacros, quos ſcriptos reliquit; nil ſpirant, niſi ſanctum amorem; ferme in omni linea, in omnibus verbis amorem Dei & proximi, nobis

com-

commendat. Nullum majus habuit gaudium, quam si charitatem inter fratres regnare vidit; pari voluptate animi hoc repetebat, *filioli diligite invicem*, ac verba ista adeo memoranda, de æterna filii generatione Ecclesiœ reliquit; *in principio erat verbum*. Fornax nimirum erat cor illius, cujus flammæ undique se diffundebant, & totum mundum inundabant; omnes aquæ tribulationum haud sufficientes erant, extingvendi ejus ardorem, ferventis olei dolium, in quod Romæ ante portam latinam missus fuerat, minus ardens erat, quam charitas ipsius, & zelus, qui ad extremas mundi partes se extendit, & plane eousque audita fuit vox hujus filii tonitrui. Jugo Christi subjecit Parthos; fundavit & rexit omnes Asiæ Ecclesias; infatigabili cura & sollicitudine, commissum sibi à supremo Pastore gregem instruxit. Hier. de Vir. Illust. c. 9. Ecce quid sit amare Jesum, non verbis vel cogitatione tantum, sed in effectu & veritate! itane etiam nos illum amamus? S. Augustini opinio est, in Psal. 88. n. 14. quod plus non amemus ipsum, quam quantum amamus Ecclesiam ipsius, aut fratres ejus, ex quibus ipsa constat; *nemo offendit unum, & promeretur alterum*. Id ipsum nobis S. Joannes insinuavit verbis istis: 1. Ep. 4. 20. *qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Præparatio tua ad Missam in eo consistat, ut te ipsum excites ad amorem Jesu & Ecclesiæ suæ. *Amor*

Chri-

Christi in cordibus vestris non refrigescat. Amor matris hujus circa vos non torpescat. Hanc toto corde amate. S. Aug. tom. 6. Serm. de cultura agri Dom. Accede ad Eucharistiam, ut scintillam hujus Divini ignis extrahas inde, quem è Dominici pectoris sinu hausit S. Joannes; & pro gratiarum actione post Missam pariter in salvatore tuo requiesce, eum instanter rogando, ut quotiescunque per S. communionem ad te venire dignatus fuerit, amorem illum in corde tuo augere dignetur, quem erga ipsum & Ecclesiam suam te habere oportet, dicendo cum S. Augustino, Conf. l. 13. c. 18. *da mihi te Deus meus; redde te mihi, te enim amo; & si parum est, amem validius.*

PRO FESTO SS. INNOCENTIUM.

Tunc Herodes videns; quia illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Matth. 2. 16.

1. Crudelitas Herodis. 2. Bonitas Dei in jugulatione SS. Innocentûm.

PUNCTUM I. STatue tibi ob oculos crudelitatem Herodis, in occisione sanctorum istorum infantum, quorum hodie festum colimus. Considera, ad quantos excessus perveniat, qui cor suum ab ambitione pos-

possideri permittit. Tyrannus iste videns se illusum à Magis, vanitatem consilii sui agnoscere ac comprehendere debuisset, quod nihil efficere contra sapientiam Divinam, humana prudentia valeat; *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Prov. 21. 30. Adeo autem ad hoc non attendit, ut potius ad crudelitatem recurrerit, tanquam solum remedium, quod ipsi superesset; totum furorem suum vertit contra innocentes, & integram aliquam provinciam, sangvine horum infantum madere fecit, sperans recenter natum regem, cujus nuntio adeo turbatus fuerat, in hac barbara executione fore involvendum. O ambitio! supplicium ambitiosum, vitium detestandum, quod mala in mundum, & in Ecclesiam infert! *ô præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, & dolositate illius?* Eccles. 37. v. 3.

Vide, an non tu ipse huic vitio subjaceas? an non ardenter concupiscas, ad officia vel dignitates pervenire? an non omnem moveas lapidem, illuc ascendendi? & postquam simile quid obtinuisti, & instar vulpis intrasti in aliquod officium, an non postea instar leonis regnas, & illud administras? cum Herode quidem quærendo Jesum, sed non ut eum adores, sed ut eum occidas in animabus, quibus avaritia & ambitio tua, occasio peccati & causa ruinæ est? *fur non venit, nisi ut furetur, & mactet & perdat.* Joan. 10. 10. Ora Deum,

ut

ut animam tuam à tam periculosa passione, curare dignetur. Et postquam crudelis Herodis ambitionem detestatus es, mirare Dei bonitatem, hanc internecionem SS. Innocentum permittentis.

PUNCTUM II. Verum est, quod nos omnes debitores simus Divinæ bonitati, & quod non sit homo super terram, cui suam Deus non exhibeat misericordiam; *misericordia Domini plena est terra*. Psal. 32. 5. Sed fateri oportet, sanctos hos innocentes eidem specialiter obligatos esse. Beatos ac felices eos reddit, antequam experti sint unquam quidquam miseriarum; triumphare eos fecit supra mundum, antequam ejus malitiam & corruptionem cognoverit; liberat eos per compendiosam mortem à periculo, in quo nos perpetuo, in hac vita versamur eum offendendi. En omnes salvi facti sunt! quot autem ex illis fuissent forte damnati, si diutius vixissent? *haberet eos Synagoga filios*, ait S. Petrus Chrysologus, *si hos Ecclesia martyres non haberet*. Lauda Dei providentiam, quæ tali modo, bonum è malo trahere scit, utendo crudelitate Herodis, qui in tanto numero infantum, Jesum occidere volebat; occisi sunt ab eo, ut modo cælum beatis impleant; quos ut primitias martyrum, & ut dignas infante Jesu victimas, honoramus, qui natus in hunc mundum eos cœlo nasci fecit. *Deus est, qui natus est, innocentes illi debentur victimæ*. S. Aug. Serm. 219. in

Append. alias, de SS. 8 Et disce exinde, persecutiones, & alia hujusmodi mala hujus vitæ, vera bona nostra, & media ordinaria esse, quibus Deus ad purificandos & sanctificandos electos suos, utitur. Bene ad hoc attende; unum ex duobus necessarium est; vel tu Jesum una cum mundo, vel mundus te, una cum Christo persequi debet; elige jam! an non magna pro te sit consolatio, scire eum, qui te ad patiendum invitat, tibi ad hoc & gratiam, & exemplum præbere? accede igitur hodie ad altare cum ista resolutione, te pro gloria illius immolandi siquidem ipse se pro te immolare vult; *immola Deo sacrificium laudis; & redde altissimo vota tua* Psal. 49. 14.

* * * * * * * * * * * * * * *

PRO FESTO S. THOMÆ EPISCOPI CANTUARIENSIS & MARTYRIS.

MEDITATIO.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Sap. 10. 12.

1. S. Thomas animatus fuit spiritu fortitudinis & constantiæ. 2. Eundem spiritum quoslibet Pastores animarum habere, oportet.

PUNCTUM I. VErus ac proprius, sancti hujus Archiepiscopi Cantuariensis character, fuit spiritus iste fortitudinis & constantiæ, quo veritatem & justitiam secundum Deum sustinuit & defendit, quin se ab hoc abduci passus sit, vel promissis, vel terreri minis hominum. Ab ingressu in suum Episcopatum continuo ante oculos mentis suæ, hæc verba

ba sapientis versabantur; Eccles. 7. 6. *noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Ah! quot amaras lacrymas profudit, postquam advertit se à primo fervore defendendi jura Ecclesiæ suæ, contra terribilem, & contra se irritatum regem nonnihil descivisse? ah Domine! exclamabat tunc gemebundus; agnosco me peccasse; & peccatum, quod commisi, tantum mihi timorem incutit, ut me ipsum ad hoc condemnem, ad altare deinceps non accedendi, cujus me indignum reddidi. Custodiæ meæ commisisti Ecclesiam tuam, hanc ego turpiter deserui, ut homini placerem. vit. S. Thomæ p. 40. 41. & Baronius ad an. 1164. unico verbo, destruxi omnem fructum, pro quo colligendo, prædecessores mei tantum laborârunt. Januam Ecclesiæ tuæ latronibus aperui, eámque profanationibus hominum exposui. Sed justa sententia, mi Deus, & tuo judicio recto me in tantum dereliquisti, quia non ex schola salvatoris, sed ex media aula extractus fui, & elevatus ad gubernandam Ecclesiam tuam. Plorabo igitur & in silentio permanebo, quousque me visitaveris ex alto, & animam meam mihi reddideris per gratiam illius, qui locum filii tui Jesu Christi hic in terris, ut vicarius tenet.

Error, quem sanctus hic Archiepiscopus tam amare deflebat, alius non erát, quam quædam subreptio & præcipitantia; quam tamen tanti

pon-

ponderabat, & enormem esse putabat in Episcopo, qui obligatus est veritatem omnino integerrime defendendi, ut à S. altari eousque abstinere decreverit, quousque ab Alexandro III. Pontifice Maximo, absolveretur & ad subeundas de novo Episcopales functiones, mandatum reciperet. Quid dicitis ad hoc? vos timidi & negligentes Pastores animarum! qui tot errores hucusque ex damnabili hominibus placendi studio commisistis! exemplum Illustrissimi hujus Ecclesiæ Anglicanæ Primatis, nihil vos commoveat? discite hodie, quidnam à vobis locus iste, quem in Ecclesia Dei occupatis, requirat.

PUNCTUM II. Pastores Ecclesiarum, ait quidam S. Episcopus, Dominic. Bartholom. de Mart. Stim. Pastor. c. 5. ordinarie obligationes suas, ideo negligunt, quia infirmi sunt, ac hominibus placere satagunt; & dum vident consangvineos & amicos suos conqueri; quod hac ratione indignationi magnatum hujus mundi, exponantur, tales resolutiones capiunt, & consilia audiunt, quibus nec aurem præbere deberent, ne evangelicæ veritati, quam prædicare tenentur, præjudicent, prout Apostolus Paulus loquitur; Galat. 2. 5. *quibus, nec ad horam cessimus, ut veritas evangelii permaneat apud vos.* Si obligationi vestræ satisfacere cupitis (pergit hic zelosissimus Præsul) petite à Deo, cor adeo firmum & constans, quod inviolabiliter inhæreat illi, quod eum à vobis exigere nove-

noveritis; nolite credere cuilibet, quisquis ille sit, qui contrarium vobis persvadere nititur; contemnite illorum consilia, & nihili facite solicitationes eorum, quamcunque violentæ sint. Nihil est, quod in hac vita vel speretis, vel timeatis, si de implenda vestra obligatione agatur; nullus hominum est, quem timeatis, itaque firmi & cordati estote; simul tamen sapientes, & circumspecti, & nunquam aliud cogitate, quam ut Deo soli placeatis; quia, ut ait Propheta, Psal. 52. 7. *Deus confringet ossa eorum, qui hominibus placent.*

Ut fructum trahas ex hac instructione hujus dignissimi Præsulis, continuo ante oculos mentis tuæ habeas hanc S. Gregorii Nazianzeni regulam, seu fundamentum; Orat: 12. *nec quidquam metuendum est, quam, ne quid magis, quam Deum metuamus.*

Pro præparatione ad Missam, roga Dominum Jesum, ut te imitatorem faciat sancti hujus, quem hodie veneramur; adoro te Dominum ac Deum meum; laudo & benedico te, quod S. Thomam, tanta abundantia Spiritus tui repleveris; quod eum tanta fortitudine munieris in prælio, quod tua causa in se suscepit, & quod denique eum tam gloriose coronaveris; dona mihi, quæso, partem aliquam zeli hujus ardentissimi, quem pro justitia & veritate ostendit. Conforta me interius virtute gratiæ tuæ in prælio, quod mihi quotidie contra inimicos salutis & sanctæ legis tuæ gerendum est;

fac, ut animose testimonium præbeam veritati, quin iram hominum metuam; & ut omni tempore, & in omni loco id ipsum dicere possim, quod tam frequenter sanctus hic Archipræsul cum tuo Apostolo dixit, 2. Cor. 13. v. 8. *non enim possumus aliquid dicere adversus veritatem, sed pro veritate.*

PRO DIE TRIGESIMA DECEMBRIS

Ex Epistola Dominicæ infra octavam Nativitatis.

At, ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Galat. 4. v. 4. 5.

DE INCARNATIONE FILII DEI.

1. De malis, à quibus nos liberavit. 2. De bonis, quœ nobis procuravit.

PUNCTUM I. MEditare frequenter hoc magnum misericordiæ Divinæ, pro salute hominum objectum, hoc est, incarnationem filii Dei, D. N. J. C. &, ut aliquid de illo comprehendere valeas, quantùm nos amaverit Deus, considera sedulò, quid antea fuerimus. *Eramus enim aliquando,* ait Apostolus, *increduli, errantes, servientes desideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & invidia agentes, odibiles, odientes invicem.* Et aliquid amplius; & tales adhuc essemus, si filius Dei incarnatus non fuisset. *Primus homo,* ait S. Augustinus, *peccatum suum toti posteritati suæ*

com-

communicavit; traxit hoc peccatum; post se innumeros errores, & pœnas, quas consecutum fuisset supplicium æternum, quod sustinere debuissent homines, cum desertoribus Angelis in inferno. Malum hoc, eò gravius & majus fuit, quò erat sine remedio, quodque in dies augebatur, dum homines, de peccato in peccatum, ceciderunt, & damnationem suam aggravarunt. *Talis erat*, ait S. Doctor, *miserabilis status, quò natura humana redacta erat, quando apparuit bonitas Dei salvatoris, ut nos ex eo liberaret*. Sed ad cognoscendam gravitatem & magnitudinem hujus beneficii & gratiæ, majori attentione & consideratione, ait S. Bernardus, opus foret, deberemus nos considerare in hoc mundo, tanquam in exilio, & miseriam nostram agnoscere; quia quicunque illam non agnoscit, nunquam agnoscet consolationem illam infinitam, quam nobis Christus Jesus per incarnationem suam attulit; interim major pars Christianorum, nec minimam de hoc facit reflexionem; toti temporalibus negotiis intenti; non sentiunt miseriam suam, & ita misericordiam Dei obliviscuntur, qui eos exinde liberavit: *dum miseriam non sentiunt, misericordiam non attendunt*. S. Bernard. in Epih: Dom Serm. 1. Vestrum igitur esto, ô ministri Domini! eos quoad hoc dirigere, prædicando ipsis servitutem peccati & necessitatem salvatoris, qui eos exinde liberavit. *Hæc loquere, & exhortare*. Tit. 2. 15. Exponite populo in sermonibus & exhor-

exhortationibus vestris publicis, & privatis, gravissima illa mala, à quibus per incarnationem liberati sumus; & deinde bona illa, quæ nobis procuravit.

PUNCTUM II. Bona hæc sunt infinita; & ita videmus, quod ipsa sacra scriptura, non inveniat terminos satis expressivos illorum: *sic enim dilexit Deus mundum*, exclamat S. Joannes c. 3. 16. *ut filium suum unigenitum daret. Nos eramus*, ait S. Paulus, Ephes: 2. 4. *natura filii iræ, sed Deus, qui dives est, in misericordia, & propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convificavit nos in Christo, cujus gratia salvati estis*. Et in Epistola hujus diei; is ipse Apostolus docet nos, cum tempus hoc advenit, quo misericordia hæc magna super terram apparere debuit, in totâ sua plenitudine, Deum misisse filium suum; qui nos à servitute peccati liberavit, & transtulit in libertatem filiorum Dei. O quantâ gratiâ! transferre mancipia & peccatores, quales nos eramus, in filiationem Divinam per gratiam adoptionis, ac donare nobis Spiritum suum, & jus appellandi Deum; Patrem nostrum; dividendi nobiscum hæreditatem suam, dignos nos reddendo, ut essemus ipsius cohæredes. Hæc sunt beneficia, quœ condigne demirari non possumus, quibusque recolendis continuò occupati esse deberemus.

O Jesu! qui nostri nunquam oblivisceris,

qui nos adeo dilexisti, ut te ipsum pro nobis dederis, fac quæso, ut magnitudinem beneficii hujus constanter recolamus, & ad hoc incessanter intenti simus, ut gratitudinem nostram, eamque infinitam, si quidem possibilis nobis foret, exhibeamus, *o terra tanto rigata sangvine, responde tanto sangvini!* S. August: tom. 6. Serm. de cult. agri Domin: n. 5. Si hodie ad altare accedis, fiat hoc, ut Divino liberatori tuo gratias agas, qui non contentus unitum fuisse naturæ nostræ, se certo quodam modo nostris corporibus & animabus, per Eucharistiam unit, & nos simili privilegio beat, quo sanctissima ejus mater gaudebat; quæ causa est, quo SS. PP. mysterium hoc adorandum, *extensionem incarnationis* appellarint; quodque nobis demonstrat, quanta puritate ad illam accedere debeamus, quia si de purissima ex omnibus virginibus, dicitur, *tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis uterum*, quid de nobis erit? plane causam haberemus non accedendi, nisi ipse salvator securos nos reddidisset, se non propter sanctos, sed propter peccatores venisse, *non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Matth. 9 v. 13.

* * * * * * * * * * * * * * *

PRO DIE TRIGESIMA PRIMA DECEMBRIS.

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur. Luc. 2. 34.

DE

DE CONTRADICTIONIBUS QUAS PASSUS EST JESUS CHRISTUS.

1. Ipſe erat ſignum contradictionis. 2. Veri diſcipuli ejus ſimiliter talia ſigna eſſe debent, quibus homines contradicant.

PUNCTUM I. VEnerabilis Simeon, prædicendo Beatiſſimæ Virgini filium ſuum multis fore in ruinam & reſurrectionem, docet nos adventum Jeſu Chriſti haud eſſe rem quamdam indifferentem, quæque poſſit permanere reſpectu hominum ſine quodam effectu. Oportet nimirum, ut nos, vel ſalvet, vel condemnet; ſublevet vel deprimat; eſt enim ſol, qui oritur, ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum; qui oculos ſanos habent, gaudent de lumine ipſius; qui vero male affectos habent oculos, dolorem exinde ſentient, & reſiſtent lumini.

Neque ſolum dixit Simeon Jeſum Chriſtum, futurum in ruinam & reſurrectionem multorum; adjecit, fore etiam ſignum, cui ab hominibus contradicetur, & ſane habebat cauſam hoc dicendi, quia hic erat cruciatus ex omnibus; quos paſſus eſt ſalvator, maxime diuturnus & univerſaliſſimus; reliqua tormenta finem habuêre cum morte illius; ſed hæc contradictio hominum ſemper adhuc perſeverat, & continuabitur uſque ad finem ſæculorum, eſt enim pars & hæreditas, quam reliquit Eccleſiæ ſuæ, & quidem pars principalior paſſionum, quam adimplere debeat: *adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum*

stonum Christi. Coloss. 1. 24. ait Apostolus. Facile est clericis, si vel parum luminis, vel experientiæ habeant, videre, quod totus in eo sit mundus, ut Christo Jesu contradicat; veritates Evangelii corrumpat, vel infirmet, dum alii se opponunt per perversam doctrinam; alii per corruptam vitæ rationem, imo vel ipsi etiam justi quandoque se ab illo elongant; quod in causa est, quare suspirando sic exclament: *Peccavi; quid faciam tibi, ô custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis*, Job. 7. 20. Et tu quoque coram Deo ingemisce, dum vides à tam multis Christo contradici, & in 2do puncto disce, quod veri ipsius discipuli, hoc ipsum experiri debeant.

PUNCTUM II. Ipsemet Salvator hujus rei nos admonet, *& eritis odio omnibus propter nomen meum.* Luc. 21. 17. En inauditam prophetiam! odio haberi ab hominibus, quando quis illis bene facit, & quidem summum illis confert bonum ex omnibus bonis, id est, procurando illorum æternam salutem! odio haberi propter Christum, qui mortuus fuit, ut iis mereretur vitam æternam, res est prorsus stupenda; id ipsum tamen est, quod fere quotidie veris discipulis salvatoris contingit. Si christianus vivere vult secundum regulas Evangelii, contradicitur ipsi, non solum ab infidelibus; sed insuper à talibus, qui eandem cum illo profitentur religionem; si quis clericorum exacte

sequi-

ſequitur ordinationes & ſtatuta Epiſcopi ſui, & obligationibus ſui ſtatus ſatisfacere conatur, contradicent ipſi quandoque, vel ipſi ſui confratres; ſi Parochus parochianos ſuos ducere vult per arctam viam, & à via ſpatioſa eos dehortatur, quæ ad perditionem ducit, tali ſe exponit tempeſtati, quœ forte per totam ipſius vitam duratura ſit; ſi abuſus in parochia ſua regnantes abolere conetur, murmurant alii, & conſurgunt contra illum; quare hoc? quærit Auguſtinus, l. 10. conf. c. 73. ideo, quia homines *amant veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem.*

Si verus es Chriſti Domini miniſter, aliud non exſpecta, quam, ut ad inſtar illius tracteris; roga ipſum pro hac gratia, ut te hominum contradictionem, nihili facere doceat; offer ad hanc intentionem hodie ſacrificium Miſſæ, & pro gratiarum actione, ſtude dignum te reddere approbatione Dei in exequendo miniſterio tuo: *ſollicite cura teipſum probabilem exhibere Deo: operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis.* 2. Tim. 2. 15.



PRO FESTO CIRCUMCISIONIS EX EPISTOLA.

Apparuit gratia Dei ſalvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos. Tit. 2. 11.

CIRCUMCISIO EST MYSTERIUM.

1. Humiliationis, pro Jeſu Chriſto. 2. Et inſtructionis, pro nobis.

PUN-

PUNCTUM I. CIrcumcisio erat signum externum, quod Deus olim Abrahamo dedit ad distinctionem Hebræorum, id est, populi Deo dilecti, ab aliis nationibus terræ, & quo ad hoc nil nisi gloriosum habebat, sed simul etiam sacramentum esse voluit, per quod, juxta opinionem plurium SS. Doctorum, S. Th. 3. p. q. 70. a. 1 & 4. peccatum originale delebatur; & quantum ad hanc institutionem, erat quid summæ humiliationis, siquidem erat character peccatoris; hinc S. Bernardus, ut exprimeret humiliationem Christi Domini quo ad hoc mysterium, vocat vulnus istud, *cauterium latronis*; cicatrix nimirum erat vulneris parum gloriosi; medela & remedium morbi extreme turpis, denique tale quid erat, quod *salvandi potius, quam salvatoris esse videtur*. S. Bern. in circumc. serm. 1. Et quasi non suffecisset tanta humiliatio, adjecit insuper salvator dolorem acerbissimum, & extreme sensibilem, quia nihil dicendo de teneritudine & perfectissima compositione temperamenti hujus sanctissimi corpusculi, ob quam vivacissime & intime quemlibet dolorem sentiebat, anima illius sanctissima pro tunc, non erat minus capax quid patiendi, ac in cruce fuit, dum aliorum infantum animæ, pro hoc tempore & ætate, quasi incapaces sunt quidquam patiendi, sicut & agendi, utpote totæ quasi demersæ ac sepultæ in sensibus. Gratias age Redemptori tuo, qui hodie incepit gustare cali-


calicem illum amarissimum, quem suo tempore usque ad fæces bibiturus erat; adora primitias sangvinis hujus sanctissimi, quem pro te effundit, quique securissimum pignus est abündantissimæ illius effusionis, quæ postea secutura erat, & in 2do puncto considera mysterium istud, magnam pro te instructionem continere in se; *erudiens nos*.

PUNCTUM II. Christus Jesus sub cultro existens, hocque signum peccatoris in carne sua recipiens, docet nos 1. quod, cum nos ipsi simus, qui peccavimus, portare debeamus ignominiam in anima nostra, & pœnam in corpore nostro, quia ista duo debentur peccato juxta S. Paulum *tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum*. 2. docet nos, quod nos omni jure ea subire teneamur, quæ sunt obligationis nostræ, siquidem ille se submisit cæremoniæ huic adeo dolorosæ & cruentæ, absque ulla obligatione. 3. docet nos aliorum defectus cum gaudio supportare; & si accidat, ut nos de eo accusemur, quod alius fecit, nos ipsos non defendamus, sed gaudeamus de nostra humiliatione, & quod quid pati possimus ob aliorum defectus & commissos errores, siquidem pro propriis tam raro mortificamur; & aliunde scimus, quod Jesus Christus solus sit, qui dicere potuit, *quæ non rapui, tunc exsolvebam*. Ps. 68. 5. Denique Christus Dominus incipiendo hodie officium Redemptoris, obligat nos ad nosmetipsos ipsi consecrandos, in principio

pio anni hujus ad adorandum illum, ut principium & finem vitæ noſtræ; & ad conſignandum nos in manus illius, pro tempore & æternitate, dicendo cum Propheta Regio, Pſ. 30. 16. *Deus meus es tu; in manibus tuis ſortes meæ.*

O Jeſu, per ſangvinem tuum pretioſum, quem hác die circumciſionis tuæ fudiſti, purifica cor meum à præteritis; & ſanctifica annum hunc, quem modo incipio; fac, ut per veram pœnitentiam reparem annos male tranſactos, ac mundo & dæmoni impenſos & dedicatos.

Accedens ad altare; hanc ipſam à Deo pete gratiam; tuaſque functiones, novo zelo & fervore repara, & ita incipe, acſi iſte ultimus foret annus, quo Deo ſervire deberes: *& dixi, nunc cæpi; hæc mutatio dexteræ excelſi*. Pſ. 76. 11.



SECUNDA JANUARII

Abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria. Tit. 2. 12.

Eccleſiaſtici renuntiare debent 1. impietati & ſæcularibus deſideriis. 2. Ac temporalibus negotiis.

PUNCTUM I. VEnit Chriſtus deſtruere idololatriam, & ſtabilire verum Dei cultum, qui in ſola Judæa notus erat, in toto mundo, ſupra ruinam templorum falſorum deorum; in nativitate ipſius ceſſarunt oracula, & coacti dæmones fateri ſe à ſuperiori

qua-

quadam virtute ligatos & in abyssum projectos; antequam quartum sæculum finem habuit, videre erat, quomodo ad invidiam usque, prophana altaria destructa fuerint, ut Deo viventi de cætero consecrarentur. Sed eheu! quamvis plura, quam tredicim sæcula abhinc effluxerint, & continuo interim prædicatum fuerit evangelium, novosque in dies progressus fecerit, nihilominus plures etiamnum videre est, idololatras in Ecclesia; & quod magis deplorandum; vel in ipso etiam sanctuario Quid refert, quod statua aliqua ex lapide vel metallo, non amplius agnoscatur pro Deitate? quod eidem nec vota, nec incensum offerantur, quod genua coram talibus non flectantur, si pecunia adoretur, & homines ventrem suum pro Deo adorent? S. Paulus docuit nos Christum Jesum, per adventum suum voluisse, ut omnem impietatem à nobis elongaremus; *impietas est*, si Jupiter adoretur; detestabilior autem, si vel ipsi christiani eo se adduci permittant; sed dantur adhuc aliæ & plures, in quas nimis quam frequenter incurrimus; *non uno modo sacrificatur transgressoribus Angelis*, ait S. Augustinus, l. 1. conf. c. 17. *Impietas est*, si quis sibi ipsi, lex & regula vivendi esse velit? siquidem magistrum & dominum habemus in cœlo; *impietas est*, contemnere minas Dei, neque moveri promissis ipsius; *impietas est*, credere, posse aliquem propriis viribus acquirere virtutem; *impietas est*, si nos ipsos ob bonum successum; quem Deus

laboribus noſtris ſpiritualibus concedit, extollamus, & nobis ipſis exinde complaceamus, cum Deum potius auctorem talium agnoſcere deberemus. Has omnes impietates fugere, & abhorrere oportet, ſi non velimus, eâdem condemnatione cum idololatris comprehendi; Sanctus Paulus idololatriæ conjungit, *ſæcularia deſideria*, & nos erudit, utraque æqualiter fugere, id eſt, deteſtari mundum, pompas, ſtultitias, & vanitates illius adeo odiſſe & abominari, ac ſuperſtitiones paganorum averſari ſolemus.

Examina te ipſum modo, utrum huic amori hujus mundi, quæ eſt inimicitia contra Deum, ut ait S. Jacobus, renuntiaveris? promiſiſti hoc in baptiſmo; & adhuc ſolemnius in ſuſceptione ſacerdotii; ſervaſtine promiſſum tuum? roga Deum, ut cor tuum immutet, & tale efficiat, quale fuit S. Ignatii, quando ad Romanos ſcripſit, quod nil magis, in toto mundo deſideret, ac, ut quamprimum ad Chriſtum perveniat; *nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de his, quæ videntur, deſiderans, ut Jeſum Chriſtum inveniam*, & in puncto 2do.

PUNCTUM II. Conſidera quod clericus, non ſolum impietati & ſæcularibus deſideriis renuntiare debeat, ſed etiam *negotiis temporalibus*; hoc eſt documentum, quod S. Paulus Timotheo, 2. Ep. 2. 4. & in perſona illius, omnibus clericis dat; *nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Bene pondera iſta verba, vult dicere; quemadmodum miles, curâm

famia

familiæ & negotiorum domesticorum à se abdicat, & nonnisi ad id intentus est, ut satisfaciat illi, cui nomen suum dedit, ita etiam clericus renuntiare debet negotiis temporalibus: neque aliter se occupare, quam ad procurandam animarum salutem, quæ cura & sollicitudo unicum medium est, illi placendi, à quo vocatus est ad officium adeo honorificum, *ut ei placeat, cui se probavit*. Ah! quam pauci sunt, qui taliter serviunt ecclesiæ! quam multos videre est, qui aliis omnibus potius intenti sunt, quam huic obligationi suæ, quorum cura omnis in eo versatur, ut se negotiis sæcularibus immisceant, processus forment; æconomos agant, & vix non publicani sint! quod videre est, qui mercaturam frumenti, vini, equorum &c. exerceant? qui functiones ministerii sui negligunt; Bone Deus! qualis hæc mutatio status! an non similibus defectibus implicatus es? si ita? age pœnitentiam; & in posterum pro regula tene id, quod olim doctissimus Petrus Blessensis ad quemdam Episcopum Anglicanum scripsit, tract. de inst. Epis. *Vacuum à sæcularibus oportet esse animum, Divinæ servitutis obsequio consecratum; magnis addictus es; noli minimis occupari, minima sunt & vilia, quæcunque ad sæculi quæstum, & non ad lucra pertinent animarum.*

Reflecte te parumper, antequam ad altare accedas, quod valde difficile sit, prout S. Bernardus adnotavit, ut quis pietatem una cum

ejus-

ejusmodi negotiis sæcularibus conservet: *periclitatur pietas in negotiis*, ibid. de conv. ad cler. c. 38. Sacerdos, qui spiritum suum distractum & occupatum habet, rebus ac negotiis sæcularibus, haud aptus est, ut eum cum fructu sumat, qui vendentes & ementes è templo ejecit, quique hodiedum adhuc dicit nobis: *nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*, Joan. 2. 16.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

TERTIA JANUARII

Sobriè & justè, & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & salvatoris nostri, Jesu Christi, Tit. 2. 12. 13.

1. Vivere oportet in hoc mundo temperanter, juste, & pie. 2. Motiva ad ità vivendum.

PUNCTUM I. CUrsus vitæ hujus, brevis est, sed ab eo dependet æternitas; nil ergo magis nostrum interest, quam ut sciamus, quomodo in hoc sæculo vivere debeamus; quod ipsum est, quod Apostolus nos, istis verbis, docet: *sobriè, justè, & piè vivamus in hoc sæculo*. Verba ista omnes nostras obligationes in se continent, ait S. Bernardus, de diversf. serm. 54. *Temperantia* in se includit, quidquid nos attinet; *justitia*, quod proximum; *pietas*, Deum concernit. *Temperantia* in eo consistit, ut excessus nostros moderemur, tam quo ad voluptates, quam quo ad curiositatem

tem: quo ad voluptates, nos intra limites necessitatis continendo; quo ad curiositatem, mortificando nos in omnibus. *Justitia*, quam proximo debemus, consistit in eo, ut nullam ei injuriam inferamus, neque quo ad personam, neque quo ad illius reputationem, nec in aliis, quæ ipsius sunt; sed potius, ut illi omne, quod possumus, bonum præstemus, & id omne faciamus, quod ei debetur, ut alibi dicit Apostolus; *reddite omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal; vectigal, cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*; Rom. 13. 7. Denique *pietas* quæ Deum concernit, exigit, ut quis de seipso nec minimum præsumat, sed omnem & solam fiduciam in eo ponamus, certo persuasi, nos per ipsum omnia obstacula, quæ nobis obesse possent, vincere posse. En debita, à quibus nemo se eximere, aut dispensare valet, quicunque ille sit, dives vel pauper, pusilli & magni; oportet omnes homines hanc viam tenere, ut ad cælum perveniant, quia alia haud superest; sed quam pauci christianorum, imo & clericorum, has ad salutem tam necessarias & essentiales dispositiones, habent! vide, ut tu deinceps illas habeas; & in puncto 2do considera motiva illa, quæ te ad hoc movere debent.

PUNCTUM II. Hæc ante oculos nobis ponit S. Paulus, dum dicit: *exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi.* Omnes voluptates & deliciæ, quas sectatoribus suis proponit mundus,

dus, non sunt capaces, ut nos seducant, si fir-
mam hanc spem futurorum æternorum bono-
rum continuo vivam haberemus; exspectatio
hæc beatitudinis hujus ineffabilis, extingveret
in cordibus nostris, omne vanum gaudium, quod
nos corrumpit; horrorem & contemptum talium
conciperemus, & in loco exilii nostri vivere-
mus *temperanter, juste, & pie*, si pluris pa-
triam nostram diligeremus; quia Jesus Christus
nominat seipsum in S. Scriptura, *Patrem futuri
sæculi*, Is. 9. 6. Quæso, ne attendamus, vel
expectemus ea, quæ nobis non sunt promissa,
volo dicere, delicias, commoditates, & conso-
lationem hujus vitæ, sed quietem futuræ; &
felicitatem illam, quæ nunquam habitura est fi-
nem; non dixit, ut exspectemus pingves hære-
ditates, beneficia, promotiones honorificas, sed
unice, beatitudinem, & gloriam illam cælestem.
Intenti igitur simus in hoc mundo, ut calicem i-
psius bibamus, & participes passionum ipsius
efficiamur; unctio gratiæ ipsius, jam sciet da-
re temperamentum, & amorem illius dulcora-
re; minime autem præsumamus, ut ab uno pa-
radyso ad alium, à deliciis terrenis ad cælestes
transeamus. Hi, qui volunt hic ducere vitam
mollem & voluptuosam, audient dein suo tem-
pore illud; quod diviti illi infelici dictum fuit;
fili recordare, quia recepisti bona in vita tua,
Luc. 16. 25. Crux pars est, & hæreditas eo-
rum, qui sunt Jesu Christi; felicitas eorum
solummodo in hac spe consistit: hoc est, quod

frequenter fidelibus prædicare debetis; *hæc lo. quere, & exhortare.* Sed ut hoc cum fructu facere possitis, ipsi prius de hoc persuasi esse debetis; quia ut S. Augustinus ait, Homil. 1. de undecim. in append. *parum est verbum, nisi addatur exemplum.* Pro Missa; roga Christum, ut in sanctissima Eucharistia, dux & socius peregrinationis tuæ esse dignetur, ut sequi valeas exemplum, & sanctitatem vitæ ipsius, quo vivendo in hoc mundo, ut ispe vixit, *juste, temperanter, & pie,* dignus efficiaris eidem uniri æternum in glorioso adventu ipsius. *Domine, deduc me in justitia tua, propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam,* Ps. 5. 9.

* * * * * * * * * * * * * * *

QUARTA JANUARII

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. Luc. 2. 21.

DE CIRCUMCISIONE SPIRITUALI.

1 In quo consistat 2. Media illam exequendi

PUNCTUM I. SI Jesus Christus, huic se cæremoniæ subjecit, ideo principaliter hoc fecit, ut finem imponeret carnali circumcisioni Hebræorum, & circumcisionem spiritualem christianorum introduceret, dum nobiscum dispensavit in lege circumcisionis, obligavit nos eo arctius ad circumcisionem cordis, quæ est veritas, quam illa præfigurabat; sunt igitur christiani, populus quidam circumcisus: *circumcisi estis, circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in*

circumcisione Christi. Colofs. 2. 11. Christus non est salvator, nisi animarum circumcisarum, & qui inter Christianos, hanc circumcisionem cordis non habet, delebitur de medio populi sui.

Sed in quo nam consistit hæc circumcisio adeo necessaria? consistit, in abscissione, seu rejectione continua omnis illius, quod generatione carnali ex Adam in nos corruptionis pervenit; & quod ipsi per voluntatem nostram propriam adjecimus, hoc est, oportet circumcidere cor nostrum, quo ad omnia perversa desideria; inclinationes corruptas, aversiones injustas; peccaminosas intentiones, desideria inhonesta, superbas elationes, avaritiam insatiabilem, ambitionem inordinatam, vanas inquietudines, superbas indignationes, spes frivolas, apprehensiones supervacaneas, sensualitates turpes; uno verbo, eradicare oportet amorem proprium. Felix ille christianus, felix ille clericus; qui hanc circumcisionem cordis recepit; talis verus est Israelita, verus christianus, verus clericus, qui laudem suam, non ab hominibus, sed ex Deo habet. *Circumcisio cordis in spiritu, non litera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est*, Rom. 2. 29. Ecce! qualis debeat tua esse circumcisio; an de hac unquam cogitasti? & in puncto 2do.

PUNCTUM II. Disce; quænam sint media, illam exequendi; nunquam te ad hoc adduci permittas, quod legi Divinæ contrarium est: *nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servi-*

mus Deo, ait Apoſtolus, Philipp. 3. 3. hoc eſt; quod debeamus mortificare paſſiones noſtras; reſcindere voluptates ſenſuales, à quibus illæ nutriuntur; quod ſi non fiat, nunquam verum characterem filiorum Dei in nobis habebimus. *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, Rom. 8. 13. Oportet mortificare propriam noſtram voluntatem, proprium intellectum; proprium judicium, conſulere fidem & rationem in omibus, quæ facimus, & non ſequi proprium humorem, propriam phantaſiam, proprias imaginationes; oportet mortificare ſenſus noſtros, qui totidem portæ ſunt, per quas peccatum intrat in animam noſtram; uno verbo, debet chriſtianus, maxime autem clericus, quo ad omnia eſſe circumciſus; *circumciſi per omnia*, ut Tertullianus loquitur. Habuiſtine curam hanc, ita te circùmcidendi? vide, in quo hucuſque defeceris, & cura illud corrigere; *circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum*, Jerem. 4. 4. Quia autem ex teipſo nihil potes, roga eum, quem hodie in S. Communione ſumpturus es, ut hanc myſticam in te circumciſionem, operari dignetur.

Veni Domine Jeſu! veni, & vive in me, regna, & dominare ſuper omnes meas paſſiones, qui non minus tui, quam mei ſunt hoſtes, & inimici: *dominare in medio inimicorum tuorum*, Pſal. 109. Adjuva me in hoc conflictu; dona

mihi

mihi vires & fortitudinem, ita me ipſum circumcidendi, & abjiciendi à me, quidquid veterem Adamum redolet; & fac per gratiam tuam, ut non deficiam, quouſque hoſtes iſtos ſalutis meæ debellavero: *perſequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non convertar, donec deficiant,* Pſal. 17. 38.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

QUINTA JANUARII

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus; quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. Luc. 2. 21.

DE SANCTISSIMO NOMINE JESU.

1. Mirabiles effectus illius. 2. Modus, & ratio illud pronuntiandi.

Poteſt hæc meditatio etiam ſervire, pro feſto SS. Nominis Jeſu, quod celebratur Dominica 2da poſt Epiphaniam.

PUNCTUM I. ADoremus Patrem æternum, qui Chriſto Jeſu filio ſuo, tàm ſpecioſum nomen dedit; *donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Philip. 2. 9. Nomen, per quod humilitas nativitatis, & exinanitio circumciſionis emendatur, ſubmittendo illi omnia; Angelos, homines, & dæmones; cœlum & terram, & infernum: *ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum,* ibid. Uniamus adorationes noſtras, cum hoc homagio generali, quod ipſi univerſæ naturæ præſtant; & conſideremus

dein-

deinde mirabiles effectus sanctissimi Nominis istius, quos in animabus producit: *lux, cibus, & medicina est*, ait S. Bernardus, in cant. serm. 15. *lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit & ungit. Unde putas*, ait hic S. Abbas, *in toto orbe, tanta & tam subita fidei lux, nisi deprædicato nomine Jesu? nonne in hujus nominis luce, Deus nos vocavit, in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, dicat merito Paulus; fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, qui tanquam vas electionis ad hoc à Deo selectus fuit, qui hoc admirabile nomen coram regibus & gentibus portaret; nonne scimus omnes, ex Apostolorum Principe, quod in nullo alio sit salus, nisi in Christo Jesu; *nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Act. 4. 12. *Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est & cibus*, pergit S. Bernardus; *an non toties confortaris, quoties recordaris? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, atque honestos, castas fovet affectiones? aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur; si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum; si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus; Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina*; in virtute namque hujus remedii Apostoli dæmonia ejiciebant: *in nomine meo dæmonia ejicient*, Marc. 16. 17. ægrotos sanabant; cæcos illuminabant,

mortuos fuscitabant; & infinita alia miracula patrabant; quæ in Actibus Apostolorum legere est, Act. 3. 6. Si autem remedium hoc adeo efficax est in curandis corporibus, multo magis valet, ad curandas spirituales animæ infirmitates: *tristatur aliquis nostrum? veniat in cor ejus Jesus, & inde saliat in os; & ecce, ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum; labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne, si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam*, Bernard. ibid. Si autem effectus hujus Sanctissimi Nominis in nobis sentire, & experiri cupimus, discamus nunc in 2do puncto, quomodo illud pronuntiari, & invocari debeat?

PUNCTUM II. Pronuntiari itaque debet 1. *cum reverentia*; est nomen salutis & sanctitatis, vel ipsis etiam dæmonibus pertimenscendum: *sanctum & terribile nomen ejus*. Ps. 110. non debemus illud unquam immiscere sermonibus profanis, sed semper pronuntiare cum fide, religione, & pietate; & ut hoc fiat, gratia S. Spiritus indigemus: *nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*, 1. Cor. 12. 2. *ex corde*, quod Christi amore plenum sit, non sufficit pronuntiare tantum nomen Jesu ore, & labiis; nisi simul & cor nostrum idem sentiat, laudabiliter fit, si sæpius ore pronuntiatur, oportet tamen semper in idem etiam cor, spiritum, & intentionem nostram consentire, *ne-*

mo

mo autem *ſic dicit, niſi qui diligit*, ait S. Auguſtinus, tract. 74. in Joan. ita pronuntiavit illud S. Paulus, quod toties in Epiſtolis ejus expreſſum invenimus, quique tantum laboravit, ut illud notum faceret hominibus: continuo in ore ſuo illud verſabat, quia amabat Chriſtum, ſermo, & locutio illius effuſio quædam cordis erat, quod ſaporem ſanctiſſimi Nominis hujus ſciebat, qui cum ſponſa in canticis dicere poterat: *oleum effuſum nomen tuum.* Cant. 1, 2. an ne & ipſe taliter illum amas? 3. pronuntiare oportet hoc ſanctiſſimum nomen, *ex & cum deſiderio ſincero imitandi virtutes Jeſu; quando Jeſum nomino*, ait S. Bernardus *imaginor mihi hominem mitem, & humilem corde, bonum, ſobrium, caſtum, miſericordem denique ornatum omnibus virtutibus; pariter mihi repræſento Deum quemdam omnipotentem, qui ſanat infirmitates meas, & per gratiam ſuam me ſuſtentat; omnia mihi in mentem veniunt, quando Jeſum nominari audio; imaginor mihi hominem ſanctiſſimum, & exinde exemplum ſumo, imitandi illum in virtutibus; item talem, tamque potentem, cujus ſolius auxilio ſalvari poſſim; ſumo itaque mihi exemplar de homine, & auxilium à potente.* Expeririſne ſimilem cum S. Paulo devotionem? ah! quam frequenter hucuſque nominaſti Jeſum, & forte nunquam adhuc cogitaſti de imitandis ipſius virtutibus; time hanc terribilem Evangelicam ſententiam: *non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine,*

intra-

intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Matth. 7. 21.

Pro præparatione ad Missam, excita in te ipso similes affectus reverentiæ, amoris & zeli, quales sancti pro nomine Jesu habuere. Roga Deum, ut sanctissimum nomen ejus, quod toties in Missa repetis, tibi vere sit nomen salutis: *Deus in nomine tuo salvum me fac*, Ps. 53. Utere ô Jesu! omni illo jure in cor meum, & suprema potestate tua, quam habes ad me salvandum: *exurge Domine, adjuva nos, & redime nos, propter nomen tuum*, Ps. 43. 26.

PRO FESTO EPIPHANIÆ DOMINI

Surge, illuminare Jerusalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Is. 60. 1.

1. Felicitas, quæ hac die Ecclesiæ obtigit.
2. Pars, quam exinde nos sumere debemus.

PUNCTUM I. Legi non potest Epistola hujus diei, quin aliquis quasi extra seipsum rapiatur præ admiratione divinarum expressionum, quibus Propheta utitur, ad describendam formationem & fundationem Ecclesiæ, docet ecclesiam non esse opus hominum, sed Dei; & quidem grande: *gloria Domini.* Deus, ut mundum conderet, aliud non fecit, quam dicendo unum verbum, sed ut formaret & stabiliret ecclesiam suam, factus est

homo, judicemûs modo, & desumamus magnitudinem operis ex qualitate auctoris, & magnitudine actionis, Ecclesia sponsa est Dei, qui homo factus est, ut eam sibi sponsam haberet, per gratiam suam, eam redemit; per lumen suum, eam illustravit, per amorem suum, eam sibi univit; *dat tibi, quo redametur amans*, S. Prosp. de ing. Prius erat deformis, tenebris cooperta, & nocte infidelitatis ut totus mundus, sepulta; *ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur*. Ps. 75. Quod Propheta adjunxit, ambulaturas gentes in lumine ipsius, & reges in splendore ortus sui, indicat nobis vocationem gentium; olim verus Deus nonnisi in Judæa notus erat, *notus in Judæa Deus*, sed hodie Magi, qui sunt primitiæ gentium, superne instructi, veniunt ad adorandum eum; & prima vestigia designant, ac initium faciunt conversionis nostræ, quia memores esse debemus, nos idem fuisse, quod ipsi fuêre; id est, idololatras, ut ipsi; & etiamnum tales essemus, nisi misericors Deus dignatus fuisset visitare nos ex alto: *illi erant primitiæ gentium, nos populus gentium*, S. Aug. serm. 2. de epiph.

Gratias Deo agamus, quod nos ad Ecclesiam suam vocaverit, per ministerium horum primorum Apostolorum Jesu Christi filii sui, dicamus ei cum propheta regio, pari affectu gaudii & gratitudinis: *O Domine, quia ego servus*

vus tuus, & filius ancillæ tuæ, Psal. 115. & in 2do puncto videamus partem, quam nos in hoc mysterio habemus.

PUNCTUM II. Primum, quod facere bent clerici hac die, est, ut festum hoc, sancta quadam lætitia celebrent: *diem primitiarum nostrarum, & inchoationem vocationis gentium rationabili gaudio celebremus. Et profanum gaudium mundanum reprehendamus, qui excessibus & belluationibus hoc sanctissimo tempore vacant*, S. Leo Serm. in solem. Epiph. ubi aliud recogitare non deberent, quam ingens illud beneficium, & gratias, quas à Domino hodie acceperunt, Secundum est; ut renovemus zelum, & amorem nostrum erga S. Ecclesiam, Matrem nostram, laborando pro viribus, ut fidem illius propagemus, eique novos infantes, & filios, ad exemplum Magorum, procuremus, qui è stabulo Bethleemitico egressi; ubi publicarunt nativitatem Regis Regum, perque omnes regiones Orientis, cognitionem veri Dei & unici filii extenderunt. *Loquentes magnalia Dei.* 3tium denique, quod facere deberent clerici, est, ut inspirent populo obligationem, quam habent vivendi conformiter sanctitati baptismi sui; & ut sæpius repetant & renovent, quæ ibi promiserunt, unice adhærendi Christo Jesu. Ecce! quam partem sumere nos oporteat de felicitate Ecclesiæ, quæ ei hodie obtigit.

Pro communione & Missa, id nobis facien-

dum

dum est, ut coram Christo Jesu instar Magorum, in genua provoluti ad pedes illius, illum adoremus, & omni possibili humilitatem sumamus; pro gratiarum actione pariter ut illi, per aliam viam revertamur, volo dicere, resoluti aliam deinceps vitam sanctiorem, & perfectiorem instituendi. *Ita & nos in novitate vitæ, ambulemus.* Rom. 6. 4.

* * * * * * * * * * * * * * *

SEPTIMA JANUARII.

Ecce Magi ab oriente venerant Hierosolimam, dicentes: ubi est, qui natus est Rex Judæorum. Matth. 2. 2.

1. Sollicitudo Magorum. 2. Negligentia sacerdotum in quærendo Jesu.

PUNCTUM I. QUam primum natus est Jesus, continuo apparuit in oriente stella extraordinariæ pulchritudinis; quam, cum Magi (hoc nomine vocabantur apud Orientales ipsorum philosophi, seu sapientes) advertissent, crediderunt eam esse signum infallibile nativitatis regis Judæorum, quam quidam ex illorum prophetis, etsi idololatra Balaam, Num. 24. 17. prædixit, Deo ita permittente, fore illum supremum dominum totius mundi, dicens, prout in Scriptura S. refertur, tredecim fere sæculis, ante hanc nativitatem, apparituram stellam ex Jacob, cujus lumine illustrandus esset totus mundus; id est, nasciturum ex progenie Jacob, hominem, per stel-

ſtellam iſtam præfiguratum, qui univerſum mundum per doctrinam ſuam eſſet illuminaturus, ac regnaturus in univerſa terra. Magi hoc oraculo animati, magis autem illuſtrati interiori lumine Spiritus S. quam ſplendore hujus lucidiſſimæ ſtellæ, ſtatim itineri ſe accinxerunt, adoraturi hunc regem recens natum. Mirare hic, quanta ſollicitudine & cura, Meſſiam à tam longo tempore prœdictum & promiſſum indagaverint: quomodo patriam ſuam, familiam & regna ſua deſeruerint, ut in regionem longinquam & incognitam proficiſcerentur. Incommoda tam longi itineris, & pericula, quibus ſe ipſos, intrando in aulam Herodis, expoſituri erant, nec quidquam illos abſterrebat. Aliud non curant, nec attendunt hi veri Abraham filii, quam ut voci Dei obedirent, & filium ejus Jeſum Chriſtum invenirent. O quam paucos quoad hoc, ſui habent imitatores æque inter nos, ac apud Judæos! *apud Judæos Prophetæ loquuntur*, ait S. Maximus, *nec audiuntur; apud gentiles ſtella tacet, & ſvadet.* Apparet ſtella, contra ordinarias leges naturæ; trahit ad ſe gentiles, & eos ad Deum perducit; omnes ſimul prophetæ, imo ipſe Deus, & Dominus prophetarum Judæis loquitur, quin illum audiant; & adverte in 2do puncto, quod ſacerdotes omnium negligentiſſimi, & quaſi inſenſibiles fuerint.

PUNCTUM II. Herodes auditis Magis congregavit ſacerdotes, & legis doctores, ut ex

ipſis

ipfis intelligeret, ubi Meffias nafci deberet; refponderunt ifti unanimiter, in Bethleem civitate, in tribu Juda; & nemo ex illis viæ fe dabat ad illum inveftigandum. Quanta indifferentia; quantum frigus in his pectoribus! indicant Herodi & Magis locum, ubi Jefum invenire poffent, minime tamen hanc difficultatem fubire voluêre, ut cùm Magis eum adoratum irent. *Similes*, ait S. Auguftinus, de Epiph. Dom. Serm. 1. *fabris arcæ Nòé, quàm aliis, ut evaderent, præftiterunt, & ipfi diluvio perierunt; fimiles lapidibus millliariis, viam oftenderunt, nec ambulare potuerunt.* Tales funt multi clerici, qui aliis viam veritatis indicant; qui prædicant, confeffiones audiunt, alios hortantur, & dirigunt, qui tamen nihilominus à via recta aberrant, *dicunt & non faciunt.* Matth. 23. 3. Explicant aliis legem Dei, quam ipfi violant; viam falutis populo digito monftrant, à qua ipfi quotidie longe difcedunt. *Alienati à vita Dei.* Eph. 4. 18. O Jefu! præferva me à tali cœcitate; illumina tenebras meas; aperi oculos meos; adauge mihi fidem, & fac, ut ipfe etiam vias illas ambulem, quas aliis monftravero.

Si hodie communicas, fiat hoc cum fincero defiderio quærendi Jefum, majori cum fedulitate, fidelitate & diligentia. Dic illi, quando ad altare accedis, majori cum devotione, quam hucufque fecifti: *utinam dirigantur viæ meæ ad cuftodiendas juftificationes tuas.* Pf. 118.

OCTA-

OCTAVA JANUARII.

Vidimus ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. 2.

1. Fidelitas Magorum in correſpondendo gratiæ
2. Motiva, cur eos imitari debeamus.

PUNCTUM I. MIrare hic promptitudinem Magorum, & fidelitatem, qua ſecuti ſunt vocantem Deum; quamprimum viderunt ſtellam, quæ eis, inſtar cæleſtis linguæ annuntiavit hanc nativitatem, itineri ſe accinxerunt, ut ei homagium ſuum præſtarent, eumque adorarent; *vidimus & venimus.* Intrant metropolim Judeæ, & in ipſum palatium Herodis, ubi in præſentiá totius aulæ quærunt, ubi ſit recens natus Rex Judœorum? quanta generoſitas? quam intrepide hoc faciunt? non quœrunt de hac re informari, in quonam angulo terræ, ubi invenirent infantem, quem ſtella illis indicabat; ſed ſine hæſitatione penetrant in palatium regis, nihil ſibi de hoſtibus timentes, & vel ab ipſo regè Judæorum, ab Herode ſcire volunt, ubi ſit Rex Judæorum? *quærunt regem Judæorum, à rege Judæorum,* ait S. Auguſtinus. Serm. 2. de Epiph. Utuntur hoc nomine novi Monarchæ, ut Principi in proprio ſuo principatu timorem incutiant, eique in faciem declarent, ipſum eſſe vaſallum hujus recens nati infantis. Quid dicis ad hoc exemplum? qui timidus & vecors, adeo times diſplicere hominibus? qui trepidas in prœſentia magnatum, neque audes coram illis loqui

de

de Jesu Christo, & de doctrina illius Evangelica? scimus equidem reges istos per gratiam interiorem fuisse confortatos, & à lumine fidei illustratos, dum foris in oculis eorum stella rutilabat, ut ait S. Leo, Serm. 4. de Epiph. *quasi stella cæli, lux fidei*. Sed an ex hac parte conqueri potes? an non abundas ex omni parte, gratiis, instructionibus, ac bonis exemplis? quomodo iisdem uteris? esto imposterum gratiæ Dei fidelior, &c

PUNCTUM II. Considerà motiva, quœ te ad hoc obligant. 1. Est, quod gratiæ Divinæ nobis ad mensuram dentur; itaque nescimus e. g. an non illa, quam hodie accipimus, ultima sit in vita nostra, à qua nostra æterna salus, vel damnatio dependeat? non nisi certissimum est, quod tandem aliqua futura sit ultima, post quam nulla alia sequatur: *unicuique nostrum, data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Ephes. 4. 7. 2. Quamvis Deus ordinarie gratiam suam cuilibet det, non tamen dat eam in æquali gradu seu mensura. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo*, ait Apostolus, *alius quidem sic, alius vero sic*. 1. Cor. 7. 7. Differunt inter se gratiæ, vel secundum differentiam officiorum, vel conditionum, in quibus nos esse voluit providentia Divina, vel secundum gradum perfectionis, ad quem nos vocat, status autem clericalis, ad quem te vocavit Deus, est tam sublimis, ut dubitare non possis, plus fidelitatis à te, quam

à laico

à laico requiri; siquidem perfectior illis esse debes: *cui multum datum est, multum quære-tur ab eo* Luc. 12. 48. 3. Denique, non correspondere gratiæ Divinæ, idem est, ac opponere se intentioni Divinæ circa salutem nostram; contemnere fructum passionis & mortis Jesu Christi; & exponere se instar Herodis & Judæorum, periculo æternæ damnationis. Ah Domine! quantum timere debeo, si me reflecto, supra abusum gratiarum tuarum! insuper contremisco magis, si attendo, quam in præsenti adhuc negligens sim, circa internas inspirationes tuas! quoties dixi cum Augustino, *modo, modo*, & hæ dilationes nec finem, nec terminum habent. O Domine! quam juste timeo, ne me dereliquas, ut olim infelicem Babylonem! *curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Jerem. 51. 9. Ah prolonga bone Deus! quæso te, terminum infinitæ misericordiæ tuæ super me; fac, ut hodie adhuc incipiam, quod à tam longo tempore jam fecisse debueram, nimirum, laborare pro salute animæ meæ, & tibi fideliter servire. Pete veniam infidelitatis tuæ præteritæ; & si hodie ad communionem accedis, cede omnino, tam seriæ & urgenti petitioni, qua à te petit Jesus cor tuum; & quidem, ut integrum illi des, sicut ipse se totum, tibi dat: *præbe fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant.* Prov. 23. 26.

NONA JANUARII

Tunc Herodes, clam vocatis Magis, deligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethleem, dixit: ite, & interrogate diligenter de puero; & cum inveneritis; renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Matth. 2. v. 7. 8.

DE HYPOCRISI.

1. Quam commune. 2. & abominabile sit vitium.

PUNCTUM I. QUis non credidisset, (dum ita loquentem audit Herodem) eum revera intentionem habuisse sequendi Magos, unaque cum ipsis adoraturum infantem Jesum. *O calliditas* (exclamat hic unus ex SS. PP. S. Fulgent. Serm. 5. de Epiph.) *ficta! ô incredulitas impia! ô nequitia fraudulenta! sangvis innocentium, quem crudeliter effudisti, attestatur, quid de hoc puero voluisti?* miserabilis hic princeps, figura est hypocritarum, ait S. Gregorius Papa, Hom. 10. in Evang. *cujus persona: qui alii? quam hypocritæ, designantur? qui, dum ficte quærunt, invenire Dominum, nunquam merentur.* Hypocrisis est mendacium actionum, seu morum; vult hypocrita apparere, sed non esse virtuosus. Hoc vitium adeo commune est, ut omnem statum & conditionem pervadat; reflecte oculos tuos, in omne genus hominum, ait S. Augustinus, & invenies hypocritas. Dantur tales æque inter clericos, ac inter sæculares, inveniuntur tales

les in seminariis, in parochiis urbanis, & ruralibus, quia ubique dantur mali clerici, mali pastores; & qui tales sunt, plerumque, ac ordinarie hypocritæ etiam sunt. Vult, in minoribus constitutus clericus, ascendere ad ordines sacros, simulat devotionem; parochus dissolutus, non audet talis, qualis est, comparere; omnes eum detestarentur, & fugerent; quid facit? speciem pietatis induit. Anne propterea peccatum suum minuit? nil minuit, potius auget, & dupplicat illud, ut ait S. Augustinus *simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas*. Cum ergo hoc vitium adeo commune sit, examina te ipsum, an non & ipse reus illius sis quacumque demum ratione? &c

PUNCTUM II. Considera, quid sit detestabile hoc vitium. 1. *In se ipso*. Hypocryta vertit omnia, etiam sanctissima, in suam propriam perditionem, & damnationem: *sanctitatem vertit in crimen*. Chrysologus Serm. 7. Profanat sacramenta, abutitur verbo Dei, & omni eo, quod sacrosanctum, in nostra religione est, Considera Herodem! consulit scripturam, & prophetas; quæritne exinde proprium profectum? non; Christum perdere & occidere cupit, hoc intendunt hypocritœ: *oves sunt habitu, astu vulpes; actu, & crudelitate lupi*. Bern. Serm. 66. in cant. En! qualiter hypocritas depingat S. Bernardus! *Quo ad effectus, qui semper sunt funesti*, ut nobis per os Jobi, Spiritus S. indicat, dum dicit: *spes hypocritæ*

peribit. Job. 18. Et quidam ex *SS*. PP. ita ait: *simulatio, cujus semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate & veritate fraudabit*. Ven. Beda. l. 4 in Lucam c. 52. 3. Ut, quam detestabilis sit hypocrisis, bene comprehendamus, desumere id possumus ex maledictionibus, quas Christus Dominus contra Pharisæos, & legis doctores huic vitio deditos, pronuntiavit; quia dum in Evangelio de servo nequam mentio fit, dicitur: *partem illius futuram cum hypocritis* in illo loco, *ubi erit fletus & stridor dentium*. Matth. 24. 51. O quam timendum, & abominabile hoc est vitium! væ igitur clericis sacerdotibus, Pastoribus animarum hypocritis, qui sub prætextu longarum precum, devorant domos viduarum, & majorem sibi damnationem inde procurant. Væ legis doctoribus, & his novis pharisæis, *qui dicunt & non faciunt*; *qui aliis imponunt onera insupportabilia, quæ ipsi nec digito suo movere audent!* qui exterius nescio, quam belle apparent, intus autem pleni sunt rapina & impuritate: *sepulchra dealbata*, *genimina viperarum*, quomodo æternam damnationem evadetis? donet Dominus, ut omnes istæ maledictiones, & infinitæ aliæ, quas Christus scribis & pharisæis seu hypocritis imprecatus fuit, ut nobis pro præservativo serviant, contra detestabile hoc vitium, quod Christus adeo abominatus fuit in his falsis doctoribus. Si hodie celebras, aut communicas, fac hoc sincera, & vera devotio-
ne;

ne: *in azymis ſinceritatis & veritatis*, cave tibi, tam in iſta, quam in aliis ejuſmodi occaſionibus à fermento phariſœorum, quod adeo diſplicet Deo noſtro, quodque omnia bona opera noſtrà corrumpere & deſtruere valet: *attendite à fermento phariſæorum, quod eſt hypocriſis*. Luc. 12. 1.

DECIMA JANUARII

Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Matth. 2. v. 11.

1. Munera, quœ Magi Chriſto Domino offerunt. 2. Quid nos illi offerre debeamus.

PUNCTUM I. Vix egreſſi ex Jeruſalem Magi incredibili gaudio, iterum eandem ſtellam, in cœlo rutilare viderunt, quam in oriente ſupra Judœam lucentem viderunt; quœque ante ipſos, in tali altitudinis diſtantia movebatur, ut ipſis ſerviret, produce; ſtabat deinde ſupra illum ipſummet locum, ubi erat infans Jeſus, & quidem tali modo, ex quo clare deſumebant hunc per illam deſignari; ità igitur à Deo inſtructi, ſtabulum ingreſſi, *non illis ſordet ſtabulum*; ait S. Bernardus, Serm. 1. de Epiph. *non pannis offenduntur, non ſcandalizantur lactantis infantia, procidunt, venerantur, adorant.* Exhibent

ei signa liberalitatis, vel potius servitutis suæ, proferendo thesauros suos, & offerendo aurum, thus, & myrrham; dona mysteriis plena, quibus ex una parte denotantur qualitates infantis hujus, ex altera parte, quomodo ipsimet, intus in anima sua dispositi essent. Igitur in auro offerunt illi tributum gratuitum utpote magno regi, in thure tributum *laudis*, tanquam vero Deo, in myrrha donum, ut ita dicam quoddã *mortuale*, ac homini mortali conveniens. Insuper offerunt illi in hoc auro, totum amorem cordis sui. In thure, adorationem integram spiritus sui; in myrrha, omnem usum sensuum suorum, & omne, quod in corpore suo pati possunt. Pondera, & bene expende apud temetipsum, munera hæc, quæ Magi offerunt Christo Domino, &

PUNCTUM II. Vide, quid tu illi offerre debeas, eadem nimirum munera, & dona eidem offerre debes, quæ sancti hi reges obtulerunt, & quidem eadem fide, quæ tibi in Christo, nostris miseriis & infirmitatibus cooperto, plenitudinem Divinitatis detegat. *Aurum*, quod obtulerunt, figura est *charitatis*, quam proximo, præsertim pauperibus exhibere debemus. Tam enim obligati sunt Ecclesiastici, ut eleemosynis, quam, ut instructione & doctrina illis succurrant. *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hebr. 13. 16. Incensum seu *thus*, imago est *orationis*, quam peragere debemus, tam pro propria quam pro salute populi; & quidem

adeo

adeo ferventem, ut ad cœlum afcendat, tanquam incenſum gratum Deo, ad obtinendam miſericordiam illius: *dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Pſal. 140. *Myrrha*; *mortificationem* & ſollicitudinem repræſentat, quam habere nos oportet ad conſervandam integritatem corporis, æque ac puritatem animarum noſtrarum, per abnegationem voluptatum, ſi Deo velimus offerre Hoſtiam ſanctam: Deo dignam, talemque, quam nobis præſcribit Apoſtolus dicens: Rom. 12. 1. *obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra, Hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Solicituſne fuiſti hœc munera hucuſque Chriſto Domino offerendi? ut autem id impoſterum facere poſſis, illum ipſum roga, ut tibi dare dignetur, quod ipſi offerre debeas. O Domine! Tu es Deus meus, qui bonorum meorum omnino non indiges; interim tamen ordinas, & dicis mihi: *ne in conſpectu tuo vacuus appaream*; ſed quid tibi Domine, indigniſſima creaturarum tuarum, dare poſſit? da mihi igitur id ipſum, quod à me exigis, cor contritum, & humiliatum, quod nihil in hoc mundo exquirat, & quod inceſſanter in laudes tuas, & gratiarum actionem excurrat. Pro Miſsa, gratias age Deo, quod tibi donaverit Jeſum Chriſtum, qui ei rependat, quod tu debes; uni te cum hoc Divino mediatore, qui in Euchariſtia continetur; quique ſolum, unicum, Deoque dignum donum eſt, quod ei

homo

homo efferre possit. Offer igitur illud, in recognitionem omnium beneficiorum, quæ à Divina ipsius bonitate recepisti: *Dominus retribuet pro me: Domine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum ne despicias.* Ps. 137. 9.



UNDECIMA JANUARII.

Et responso accepto in somnis ne, redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Matth. 2. 12.

DE ITINERIBUS CLERICORUM

1. Regulæ, quomodo instituenda sint.
2. Examen supra defectus, qui in illis committi solent.

PUNCTUM I. Modus sane sanctissimus Magorum, quem in itinere suo observârunt, regulas nobis præscribit, quomodo nostra pariter instituenda & ordinanda sint. 1. Erat iter illorum necessarium, nempe, ut adorarent Christum, & lumen fidei acquirerent; quod nobis indicat, rescindendi omnem peregrinationem inutilem, & nullam instituendi, nisi secundum sanam & rectam rationem. Clerici, qui gaudent circumcursare ex quodam spiritu inconstantiæ & levitatis, ordinarie contemptum incurrunt, & præter dispendium temporis, simul etiam spiritum pietatis prodigunt. 2. Iter Magorum non nisi per inspirationem cœlestem susceptum fuit: neque nos aliquod suscipere debemus, nisi prius consulto

Deo.

Deo. Sæpius nos ipsos in similibus occasionibus decipimus, vel proprio amore, vel inquietudine spiritus ducti, quando nobis ipsis imaginamur, nos non nisi à charitate proximi & zelo gloriæ Divinæ duci. Quamquam multum desideraverit Paulus Romam ire, multa bona ibi peracturus, nihilominus hoc iter aggredi noluit, nisi petito prius à Deo per orationem consilio, ut voluntatem ipsius intelligeret: *Semper, in orationibus meis obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam, in voluntate Dei veniendi ad vos;* Rom: 1. v. 10. in quo ipso loco nos docet, Deum, quemadmodum principium, ita & finem peregrinationum nostrarum esse debere, ait enim: *desiderio enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis, id est, simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram, atque meam.* Ibid. 3. Ultima instructio, quàm ex hoc itinere Magorum ducere debemus, solicitudo & cura est, qua Herodem evitârunt, & per aliam viam reversi sunt in regionem suam; per quod nobis indicant, evitandas illas occasiones & societates esse, quæ nobis nocere, aut ad minus distrahere spiritum nostrum possint in via; quodque nos minime adjungere debeamus aliis, quam quibuscum nobis liceat continuare devotiones nostras & exercitia spiritualia. Observastine hásce regulas? ut hoc cognoscas.

PUNCTUM II. Examina te ipsum, quomo-

do te

do te hucusque gesseris in itineribus tuis? an non sæpius itineri inutili te accinxisti? quin illius memor fueris, quod dicitur: *qui multum peregrinantur, raro sanctificantur*? & si necessarium id tibi visum fuit; orastine prius, & consuluisti Deum, antequam iter tale aggressus sis? qualem intentionem formasti? quem fructum exinde hausisti? amplexusne es societatem bonorum? miscuistine cum illis in via discursus ædificatorios? declinastine sancta quadam dexteritate discursus contrarios? renovastine sæpius in via cogitationem de præsentia Dei, juxta monitum sapientis: Prov. 3. 6. *in omnibus viis tuis, cogita illum, & ipse diriget gressus tuos*. Portastine semper habitum illum decentem, & modestum à conciliis præscriptum, quemque boni clerici observant? dixistine ante abitum preces illas? quas Ecclesia, itinerarium clericorum, appellat, & sancte pro clericis ordinatæ sunt; nunquam oblitus es orationis? nunquam festinanter recitasti breviarium? nihil unquam, vel in via, vel in hospitio commisisti, quod proximo potuisset esse scandalo? pete veniam defectuum istorum à Deo, si quos hucusque admisisti, & esto deinceps cautior, & circumspectior in itineribus tuis: *nemini dantes ullam offensionem: sed in omnibus exhibeamus nos metipsos sicut Dei ministros*. 2. Cor. 6. Pro præparatione ad Missam, adora Christum in tot itineribus, quæ durante vita sua mortali fecit. O quam sanctos
fines

fines habuit! quam ædificatoria erant omnia exteriora illius? cura illum imitari. O Domine! qui dedisti nobis filium tuum unigenitum, pro exemplari, largire mihi hanc gratiam, ut ipsum valeam imitari, quemadmodum expresse id nobis præcepit: *qui mihi ministrat, me sequatur*, Joan. 12. 26. Fiat per tuam misericordiam, ut ita ex hoc exemplo proficiamus, quo omnes gressus nostri totidem passus sint versus cœlum, & ubicunque eamus, vel maneamus, semper cum illo uniti maneamus. Ita dispositus esse debet quilibet christianorum, sed multo magis clerici, qui hac felici sorte gaudent, ut eum toties in sacra communione recipere possint: *qui dicit se inipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* 1. Joan. 2. 6.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

DUODECIMA JANUARII.

Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Rom. 12. 2.

DE SPIRITU HUJUS MUNDI.

1. Non debemus nos illi conformare. 2. Sed potius laborare, ut reformemus spiritum nostrum.

PUNCTUM I. PRæceptum, quod S. Paulus hic nobis dat, fortassis difficillimum ex omnibus in vita christiana est,

præ-

præcipit, non, ut nos ab hoc mundo separemus, sed prohibet nos mundo conformari, id est, vult, ut non amemus ea, quæ mundus amat, nec faciamus ea, quæ mundus facit. Porro hoc tam facile non est, ac quisquam sibi ipsi imaginatur; necesse enim est, ut quis efficaciæ illi resistat, quam exempla habent, & quasi communis & generalis omnium consuetudo præsefert; ubi est clericus, qui hoc faciat? *Va tibi flumen maris humani!* exclamat hic S. Augustinus, l. 1. conf. 16. *quis resistet tibi? quamdiu non siccaberis? quousque volves Evæ filios in mare magnum & formidolosum, quod vix transeunt, qui lignum conscenderint.* Si quis adhuc dubitat; tantum oculos aperiat; & videbit, totum mundum permittere se trahi ab hoc infelici torrente ad amandum hoc sæculum, & ad idipsum faciendum, quod alii faciunt; divitiæ, honores, voluptates, & gaudia hujus sæculi acclamant nobis continuo; felices nos cum ipsis futuros, & sine ipsis non nisi miseram vitam ducturos. Videmus, quod hoc quam plurimis persuaserint; aliorum sequimur exempla, & instar illorum, etiam nos gaudere volumus. Ah! quot sunt clerici, qui quamvis nolint haberi pro dissolutis, tamen sibi dominari permittunt quascunque sæcularium passiones; amant delicias, quærunt pecunias, avide honoribus inhiant, uno verbo, amore præsentium inescati, eorum, quæ æterna sunt, obliviscuntur! interim vult S. Paulus, ut omnibus

ejus-

ejusmodi inclinationibus, & desideriis resistamus, dum ait: *nolite conformari huic sæculo.* Anne hoc fecisti? qualiter sentis de rebus hujus sœculi, quas S. Joannes Apostolus, diligere vetat? *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt,* 1. Joan: 2. Quomodo loqueris de regulis, seu præceptis, & modo vivendi hujus mundi? nonne primus es? qui talia defendis, & auctoritatem illis concilias, cum potius impugnare, ut contraria spiritui Christi, & Evangelio ejus, deberes? muta hunc tuum modum vivendi & agendi, &c.

PUNCTUM II. Scito ad hoc, ut te spiritui hujus sæculi non conformes, necesse esse juxta doctrinam Pauli, continuo laborare ad reformationem spiritus nostri: *reformamini in novitate sensus vestri*; vult dicere, quemadmodum mundus in id toto conatu incumbit, ut denuo in nobis reformet, & restituat spiritum veteris Adami, ita nos ex parte nostra extremè conari debere, renovandi in nobis continuo formam & spiritum novi hominis, qui nos contemnere res hujus mundi faciat, amoremque æternorum nobis ingerat; en transformationem! quam Apostolus nobis præscribit, & medium, seu modum ad eam perveniendi, nimirum, ut quæramus in omnibus voluntatem Dei, quid ipse approbet? quid amet? ut probetis, *quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*; hoc est, quemadmodum mundus, quasi singulis momentis, quid amet, qualiter judicet

de res

de rebus, nobis obtrudit, ita nos debere continuo inquirere, quid placeat Deo? quidque à nobis requirat? non deest Deus, quin continuo voluntatem suam iis notam faciat, qui serio eam scire volunt ex desiderio eam sequendi, qui puram intentionem & simplex cor habent; qui aliud non quærunt, consulendo Dominum, quam gloriam illius, & salutem suam; qui hanc dispositionem habent, quam S. Augustinus indicat, conf. l. 10. c. 26. *optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit*; vult dicere, verum Dei servum non desiderare id audire, quod suæ voluntati conforme est, sed potius satagere, suam cum Divina voluntate, conformare, adeo, ut si statum Ecclesiasticum, hoc officium, hanc dignitatem, vel curam animarum, sibi haud congruere sciret, tam contentus foret, acsi ad hæc omnia vel ab ipso Deo indignus haberetur.

Anne ita cooperatus es? si talis esse vis; hodie statim renuntia omnibus affectionibus inordinatis, ac perversis moribus veteris hominis; purifica cor tuum ab omni secreta cupiditate, & quocunque desiderio, ad statum vel vitam præcise commoditati tuæ servientem, ut sic merearis à Deo illuminari ad cognoscendum, ad quid ipse te destinatum, & applicatum velit; esto fidelis ad ipsum audiendum, in orationibus tuis, in secessu spirituali, in silen-

tio,

tio, tranquillitate & pace passionum, & sensuum tuorum; dic cum S. Paulo, Act. 9. 6. præsertim, quando ad S. Communionem accedis: *Domine, quid me vis facere?* accede deinde ad Ananiam, volo dicere, ad Superiorem vel Patrem tuum spiritualem; *& tibi dicetur ibi, quid te oporteat facere*, ausculta illud, quod tibi dicturus est, cum docilitate, quæ discipulum decet, &. instar fidelis servi, id exequere: *Domine, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu; spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Psal. 142.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

DECIMA TERTIA JANUARII.

Dico enim vobis per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Rom. 12. 2.

DE PRÆSUMPTIONE & BONA OPINIONE DE SEIPSO.

1. Quam sit communis error? 2. Quid facere oporteat ad corrigendum illum?

PUNCTUM I. Si hæc verba S. Pauli, attente legant Ecclesiastici, plurimum documenti exinde trahere poterunt; docent nos, ut nosipsos non ingeramus in ministerium vel prædicationis, vel alterius cujuscunque officii clericalis, si donis ac gratiis ad illa necessariis careamus. Id, quod ostendit ex pro-

proprio suo exemplo: *dico enim vobis per gratiam, quæ data est mihi*; docet nos evitare præsumptionem, & bonam de nobis metipsis opinionem; quæ in causa est, cur vires nostras non mensuremus, secundum gravitatem officii, quod in nos suscipimus; & quod prius non supputemus bene, juxta consilium evangelicum: *an necessarios sumptus habeamus, ad perficiendum* tale ædificium. O quam communis iste est error, non solum quo ad sæculares, sed & clericos! nonnisi quam frequentissime videre est tales ministros, qui de propriis viribus præsumunt; qui non contenti eo loco, in quo Deus eos posuit; se honoratiori dignos existimant, nec quidquam intermittunt, quo tandem ad talem eluctentur. Vicarius dignum se putat ipsa cura parochiali, & hanc ambit; parochus idoneum se credit, qui non unum tantum, sed plures Episcopatus administret, & quot sunt Episcopi, qui ultra hanc supremam dignitatem tendunt? bona hæc opinio, quam quis de seipso habet, facit, quod quis se ipsum ad omnia capacem putet, nec alios limites admittat altius ascendendi, nisi puram impotentiam. O quot mala inter Ecclesiasticos, causat hoc vitium! deplora hoc coram Deo: *omne caput languidum, & omne cor mærens; à planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* Is. 1. 6. Præsumptuosus homo fiduciam ponit in suis propriis viribus, totus seipso occupatus; proprios conceptus suos adorat; nil aliud appro-

approbat; quàm quod ipſe facit; nil æſtimat, quam quod ipſe dicit; nullique cedere volens, ob obſtinationem & pertinaciam ſuam, omnibus ſe odibilem & inſupportabilem reddit; viſne, & tu talis eſſe? ô deteſtare potius tam gravem errorem! & ſi forte illi ſubjaceas, vide in 2do puncto, quid te oporteat facere ad illum corrigendum?

PUNCTUM II. Ut nos in moderatione illa, ad quam nos exhortatur S. Paulus, contineamus, debemus conſiderare 1. quod præditi non ſimus omnibus talentis, vel omnibus gratiis: *habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes.* Rom. 12. 6. 2. humiliter agnoſcere dona, quæ à Deo accepimus; inſuper laborare, ut iis bene utamur, ſecundum ordinationem & inſtructionem, quam à ſuperioribus accepimus, qui ſunt velut interpretes voluntatis & diſpoſitionis Divinæ circa nos: *ſicut diviſit Deus menſuram fidei.* 3. ſæpius nobis ipſis applicare ſimilitudinem illam, qua utitur Apoſtolus, ut nos illo ſtatu contenti vivamus, in quo modo ſumus, ait enim. Cor. 12. 17. *ſicut in uno corpore, multa membra habemus; omnia autem non eundem actum habent, ita multi unum corpus ſumus.* Cur ergo, qui omnes membra ſumus ejuſdem corporis in Chriſto Jeſu, tales actiones & functiones obire cupimus, ad quas deſtinati non ſumus? *ſi totum corpus oculus, ubi auditus? ſi totum auditus, ubi odoratus?* væ illis, quorum ambitio, aut

aut avaritiâ, hanc monstruosam difformitatem in corpore mystico Christi Domini, causant? humiliabuntur suo tempore certo, & horribiliter; simus ergo contenti, si vel infima pars, in hoc tam nobili corpore, quod hac prærogativa gaudet, habere pro capite Christum ipsum Dei filium, esse possimus, *non quæras in corpore Christi, nisi sanitatem*; ait S. Augustinus serm. 137. de verb. evang.

Pro præparatione ad Missam, agnosce hanc de se ipso magnificam æstimationem, esse malum tam commune, ut valde difficile accidat, te ab illo non pariter affici; roga Jesum, ut te ab illo totaliter sanet: *Deus, qui præsumentes de se & de sua virtute gloriantes humilias*; orat. eccles. miserere mei; si præsumptio causa fuit ruinæ in Principe Apostolorum; heu! quid fiet nobis, qui neque tam cordati, neque tam firmi sumus, ac ipse; fac Domine, ut infirmitates nostras continuo ante oculos nobis ponamus, & ut in alio non confidamus, quam in misericordia tua infinita: *quis non contremiscet ad illius columnæ casum? si Petrus lapsus est, quis alius de se, jure præsumat?* S. Bernard. serm. 6. in cæna Dom.

* * * * * * * * * * * * * * * *

DECIMA QUARTA JANUARII.

Remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus. Luc. 2. 43.

DE ABNEGATIONE PARENTUM & CONSANGVINEORUM.

1. Oblie

1. Obligatio imitandi Christum in hoc puncto.
.2 Comparatio inter ipsum, & nos.

Meditationes sequentes servire possunt pro diebus, qui forte adhuc supersunt usque ad Dominicam 2dam post Epiphaniam.

PUNCTUM I. RAtio & modus iste agendi, quem D.N.J.C. tenuit respectu suorum parentum, dum insciis illis remansit in templo, docet Ecclesiasticos, quod à tempore, quo ad sacra mysteria destinati & consecrati sunt, à se pariter abdicare debeant affectû ad suos consangvineos, imo si fieri possit, etiam separare se ab iis, & eorum conversatione, ut eo liberiùs saluti suæ & aliorum vacare valeant. O quàm necessaria esset nobis hæc instructio! *oblivîscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.* Psal. 44. Si vel simplex tantum christianus obligatus est ad renuntiandum immodico affectui erga suos, siquidem Christus ad omnes omnino christianos dixit, Matth. 10. *qui amat Patrem aut Matrem plus quàm me, non est me dignus;* quanto magis ergo necessaria erit ecclesiastico talis abnegatio, qui Dominum pro parte & hæreditate sua eligit? visne ulteriorem hujus rei probationem? Considera, quod, quamvis sacerdotium judaicum fuerit valde imperfectum, & maxima illius gloria in eo sita fuerit, quod fuerit figurâ sacerdotii novæ legis, nihilominus summo Pontifici prohibitum fuerit induere vestem lugubrem, & interesse funeralibus

patris & matris suæ, ne forte dando signa ista doloris, dedecus afferret sacræ unctioni, quam in consecratione sua accepit, *super patre suo, & matre sua non contaminabitur*. Levit. 21 11. Melchisedech, qui magis expresse præfigurabat Christum, summum Pontificem & sacerdotem novi testamenti, proponitur nobis in scriptura, *sine patre, sine matre, sine genealogia*. Quid sibi vult silentium hoc adeo mysteriosum in scriptura? quæ alias genealogias omnes tam exacte referre solet; nisi, quod personæ Deo consecratæ, per characterem sacerdotii, consangvineos ita æstimare debeant, quasi nullos haberent; quod obligati sint ad abrenuntiandum illis affectionibus, quas eis inspirat caro & sangvis, à quibus retardari possent in via perfectionis, quam & ipsi ingressi sunt, perque eam & alios quoque ducere debent; sola ecclesia illis esse debet instar patris, matris, fratris, sororis & consangvineorum, ad exemplum Divini magistri sui, qui pro suis non agnoscebat alios, quam qui obedirent suo Patri æterno; *quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse meus frater, & soror, & mater est*, Matth. 12. 50. An similiter dispositus, & affectus es erga tuos? visne scire hoc?

PUNCTUM II. Fac, & institue ergo nunc comparationem inter te & illum; & confundere; dum te carni & sangvini adeo addictum invenis. Christus Jesus, ætatis suæ anno duodecimo, subducit se à parentibus suis, & manet in tem-

in templo, ut ibi oraret & negotia Patris sui curaret; & tu, qui à tempore primæ æterni tonsuræ renuntiasti tuis, Deumque pro parte tua elegisti, resolvere te non potes ad eos relinquendos, ut per sex menses vel annum, seminarium clericorum inhabites, ad addiscendum ibi vitam & mortes ecclesiasticos? Christus Jesus non consuluit parentes suos circa id, quod Patris negotia concernebat; & quamquam horum erga illum affectus, totus sanctus ac spiritualis fuerit, nihilominus talem illis responsionem dedit, acsi eos quasi non nosceret: *quid est, quod me quærebatis?* non indigent verba ista, ut justificentur, utpote ab eo, qui sanctus sanctorum est, prolata; sed cave, & attende tibi, ne te aliquando condemnent, qui non audes respondere consangvineis tuis, dum te ab exercitio ministerii & officii tui abstrahere conantur; qui alios non consulis, nisi istos, in omnibus tuis negotiis, qui eorum judicio & opinioni in omnibus cedis; qui aliam vocationem non agnoscis, nisi illam, quam ipsi tibi inspirant; qui ex alio motivo non amplecteris statum ecclesiasticum, nisi ut tui per te ditentur, quique forte ex nulla alia causa sacerdotium suscepisti, quam ut eorum necessitatem sublevares. Quid tibi aliud dicere poterunt? si semper cum illis conversaris, quam ut de suis negotiis, causis, laboribus, curis, tecum loquantur, ita omni se cura liberent; eamque in te conjiciant? ah! quam turpiter hucusque

halu-

halucinatus es, ut eorum negotia tractares? quas molestias, inquietudines, & curas sufferre debebas, ne eis displiceres. Examina te ipsum super hoc; adhuc hodie renuntia ejusmodi humanis & indignis affectionibus; quæ adeo honori sacri ministerii tui præjudicant. Pro præparatione ad Missam, roga Christum Jesum, quem proxime sumpturus es, pro gratia hac, quatenus ità vivere valeas inter tuos, quemadmodum ipse inter suos vixit in hoc mundo; ut cor tuum ab hac falsa teneritudine liberet, sicuti abstraxit cor S. Pauli, dum eum ad Apostolatum vocavit: *cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum gentibus, continuo non acquievi carni & sangvini*, Galat. 1. 16. O Jesu! operare id ipsum in nobis, ut *mundi per abstinentiam, tibi canamus gloriam*; ut separati à mundo, & nostris, sancte tractare valeamus, quæ officii ac vocationis nostræ sunt.

* * * * * * * * * * * * * * * *

DECIMA QUINTA JANUARII.

Dixit mater ejus ad eum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te Luc. 2. 48.

DE JACTURA GRATIÆ.

1. Quam graviter sentire debeamus hanc jacturam. 2. Quid nos facere oporteat, ad eam recuperandam?

PUN-

PUNCTUM I. VErba ista, quæ beatissima Virgo ad Jesum dixit è corde, intimo dolore repleto, procedebant; desolatissima ex omnibus mater est, quæ hic loquitur, & quæ apud filium suum, & apud Deum quæritur, de tristissimo statu suo, in quem redacta fuerat propter elongationem & absentiam filii sui à se: *amaritudine valde replevit me omnipotens*. Ruth. 1. 20. O quis hic exprimat! quænam fuerit afflictio Mariæ & Josephi, durante hoc triduo, quo Jesum deperditum investigabant? oportet scire & agnoscere amorem illum, quo erga Jesum flagrabant; ut quis comprehendere valeret, quam acerbè hanc jacturam senserint; & quis hoc possit? nisi ille ipse, qui hac ratione probare voluit fidelitatem illorum; *dolentes quærebamus te*. Solerter expende verba ista, & disce exinde, quo dolore tangi debeas, si tam infelix fuisti, ut Jesum à te elongares per jacturam gratiæ ipsius. Beatissima Virgo, & S. Joseph, semper adhuc illi uniti erant, quamvis eum apud se non haberent; quia illum nunquam sua culpa perdiderunt; sed non ita tecum agitur; iniquitates enim tuæ causa sunt hujus perditionis & jacturæ: *iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum*. If. 59. 2. Perdidisti Jesum, & gratiam ipsius, ut passionibus tuis satisfaceres, ut mundum sequereris, ac vanitatem illius; quid aliud superest? quam ut plangas hanc jacturam tuam! *qu*

dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte. Perdidi te, ô Jesu unicum thesaurum meum! non ita, prout sanctissima Mater tua, quœ nullam hujus jacturæ causam dedit; non ita, prout te quandoque perdunt innocentes animæ, quas tua consolatione privas, ut earum virtutem probes; patientiam exerceas; humilitatem robores, & fidem illorum perficias; sed eheu! perdidi ego te ex mea propria malitia. Fac ô bone Deus! ut magnitudinem jacturæ hujus comprehendam; ut flumina lacrymarum profundam; ut nullos dolori meo limites ponam, ut sicut illi regi pœnitenti, sic & mihi quotidie, ab omnibus creaturis, hoc objici putem, quod Deum meum perdiderim: *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus.* Psal. 41. 4. Non sufficit autem dolere de hac gratiæ jactura; oportet insuper omni possibili modo curare, ut gratiam deperditam recuperes.

PUNCTUM II. Postquam sanctissima Virgo, & B. Joseph Jesum perdiderunt, absque mora illum inquisierunt; requirebant illum magna solicitudine & labore, tandemque in templo quærentes, illum ibi invenerunt; idem & tibi faciendum, ut gratiam Dei recuperes, si pretiosum hunc thesaurum perdidisti; 1. oportet illam quantocius quærere, & eousque quœrere, quousque eandem inveneris; documentum hoc est ipsius Dei, quod per prophetam suum

nobis

nobis dat, Iſ. 55. 6. *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum prope eſt*, 2. oportet illum quærere ſollicite, ad exemplum ſponſæ in canticis: *num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Cant. 3. 3. negligentia in quærendo Deo, exponit nos periculo in peccato moriendi, & eum nunquam inveniendi juxta terribilem illam Judæis factam prædictionem: *ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini*, Joan. 8. 21. 3. oportet eum quærere in templo mediante oratione, & aliis bonis operibus; non autem inter luſum, in locis publicis, neque in palatiis magnatum; nec in domibus eorum, qui vitam mollem & delicioſam ducunt, inveniri poteſt Jeſus: *non invenitur in terra ſuaviter viventium*, Job. 28. 13. ſed in templo, in medio Eccleſiæ; in tribunali pœnitentium, ad pedes S. altaris; ibi inveniemus gratiam & miſericordiam Dei: *ſuſcepimus Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui*, Pſal. 47. 10. Vide, an tali modo quæſieris Deum? ah! quantæ erant dilationes & retardationes tuæ in hac inquiſitione! quot ſunt ex clericis, qui non ſolum per triduum, ſed integris menſibus, imo annis patiuntur ſibi abeſſe Deum, dum interim veri ac ſancti pœnitentes illum requirunt cum zelo & fervore, plorando, jejunando, gemendo ſuper jactura gratiæ, quam incurrerunt, *irremediabilibus lacrymis*, Tob. 10. 4. humilia te, in conſideratione temporis & negligentiæ tuæ; reſolutio

tua

tua sit quærendi Deum imposterum, majori sollicitudine, & illi majori fidelitate inhærendi: *tibi dixit cor meum; exquisivit te facies mea; faciem tuam requiram Domine*, Ps. 26. Hoc autem in particulari, ac magis fiet in S. communione, quod eum invenire possis; adora Jesum in hoc ineffabili mysterio amoris erga te sui; & si hanc gratiam habeas ad eum hodie accedendi, uni te cum ipso ex toto corde, & pro gratiarum actione, promitte te eum nunquam amplius derelicturum: *inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*, Cant. 3. 4.



DECIMA SEXTA JANUARII.

Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Luc. 2. 49.

SOLICITUDO SATISFACIENDI OBLIGATIONI SUÆ.

1. Debemus insistere functionibus ministerii nostri. 2. Et evitare ea, quæ nos ab eis impedire possent.

PUNCTUM I. Bene ponderemus ista prima verba Christi Domini, quæ in templo dixit; verba sunt consecrationis, sacrificii, abnegationis & zeli, quibus nos instruit, debere nos totum tempus nostrum, omniaque talenta functionibus ministerii no-

ſtri applicare; eſſeque ſpeciem aliquam furti, aut rapinæ in Deum & Eccleſiam, ſi talia ad alios uſus, quam ad hos, transferamus. En amplam & grandem materiam meditationis pro clericis! *in iis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe*, & ut de hoc plene perſvaſus ſis, aliud neceſſe non eſt, quam, ut qualitates & officium Paſtoris animarum expendas: *homo Dei eſt*, ut ad Timotheum S. Paulus, ſcripſit. 1. Tim. 6. 11. *tu autem ô homo Dei*; cum ergo *homo Dei* ſit, alia negotia tractare non debet, niſi Dei; *eſt homo orationis*, quem eccleſia ad hoc ſelegit, ut eſſet ipſius mediator, & offerat pro ipſa vota, dona, & ſacrificia; ut hoc fiat, oportet eum habere ſpiritum liberum, recollectum, & defæcatum ab imaginibus rerum mundanarum. Denique obligatur ad annuntiandum populo voluntatem Dei, mediante prædicatione verbi Divini, & ad ſanctificandum illum per adminiſtrationem ſacramentorum; quod facere haud poteſt cum fructu & benedictione Divina, ſi ſe his functionibus non totum applicet, quid? ſi Apoſtoli in ſe ſuſcipere noluerunt curam viduarum, quamvis exercitium aliquod charitatis fuerit, quomodo audebimus nos mille negotiis diſtrahentibus, & à vocatione noſtra alienis, nos ingerere? *nos vero orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus*, Act. 6. 4. En applicationem & laborem Apoſtolorum! tales & nos eſſe debemus; occupatum eſſe orationibus; totum ſe functioni-

bus

bus clericalibus dedere, vita est boni pastoris & boni sacerdotis; hæc debet esse illius temporis distributio, & si illi, status suus cordi est, omne id à se abscindet. quod cum sanctis ejusmodi occupationibus incompatibile est.

PUNCTUM II. Quandoquidem bonus clericus, gaudium, delicias & quietem suam in eo tantum reponere debet, quod Dei cultum & sanctificationem animarum concernit, sequitur exinde per se eum evitare debere omnes alias occupationes, quæ ipsi quoad hoc impedimento esse possent, ut sunt negotia & commercia sæcularia, ita videmus, quod ecclesia ministris suis, ejusmodi occupationes expresse prohibeat tanquam contrarias sanctitati professionis clericalis. Tertium Concilium Carthaginense Can. 15. ita expresse habet: *placuit, ut clerici non sint conductores, neque procuratores, neque ullo turpi, vel inhonesto negotio victum quærant.* Concilium Calcedonense Can. 27. ita statuit: *decrevit sanctum hoc, magnumque Concilium, nullum deinceps clericum possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se immiscere.* Neque tibi imagineris, hæc decreta non amplius esse in usu, sacrum Concilium Tridentinum illa omnia renovavit, & S. Carolus fidelissimus illius interpres, in praxim ea deduxit, in prima synodo Mediolanensi, quam pulcherrimis hisce verbis conclusit, quæ cordibus omnium ecclesiasticorum profunde insculpi mererentur. *Non*

sæculi

sæculi vos mercatores; non mammonæ ministri estis, sed Christi ministri & mercatores. Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, studete lucrari animas Deo, & cœlesti horreum augere.

Ex his cape resolutionem; neque contentus esto, ut ipse fugias ejusmodi sæcularia negotia, sed fuge etiam illos ex confratribus tuis, qui se ejusmodi immiscent; *negotiatorem clericum, quasi quamdam pestem, fuge*, erat admonitio S. Hieronymi, data Nepotiano Epist. 2. in illa pulcherrima Epistola, quam ad eum scripsit, ut eum ad vitam clericalem formaret. Pro præparatione ad Missam; deplora miserandam plurium clericorum distractionem & dissipationem, qui se ejusmodi negotiis mundanis ultro ingerunt; & una cum S. Propheta Jeremia ingemisce Thren. 4. 1. *quomodo obscuratum est aurum; mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.*

DECIMA SEPTIMA JANUARII.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth; & erat subditus illis. Luc. 2. 51.

DE VITA OCCULTA CHRISTI DOMINI.

1. In quo consistat? 2. Quomodo ecclesiastici illum, quoad hoc imitari possint?

PUNCTUM I. Ultima verba Evangelii, quæ meditanda suscepimus,

mus, nobis ob oculos ponunt vitam occultam Jesu Christi in domo Nazarethana. Abyssus est, in qua non nisi feliciter pereundum nobis erit; siquidem impossibile est, fundum in hac re invenire. Sufficiat nobis adorare cum profundo silentio, hanc pauperem, humilem, absconditam & incognitam vitam filii Dei, qui sic pœnitentiam egit pro peccatis hominum. Totum, quod de hac vita Divina scimus, est, quod fuerit admirabilis, tota sancta; digna proin æterna reverentia omnium hominum & Angelorum. Verum, quia te utpote clericum decet, mysterium hoc populo explicare; considera, quod per vitam occultam Jesu Christi, totum illud tempus intelligatur, quod ab anno duodecimo œtatis suæ, usque ad trigesimum transegit, ubi prædicationem suam incepit, & de hoc toto temporis spatio, aliud non inveniemus in evangelio, nisi subjectionem & laborem illius: super omnia autem silentium omni adoratione dignissimum, quod extraordinarium & incredibilem pruritum nostrum garriendi, nos ipsos monstrandi, nos ipsos commendandi, nimis clare condemnat. An aliquid pulchrius? aliquid majus, aliquid utilius; denique quid divinius sit, quam vita Christi Jesu? & tamen octodecim ipsos annos transegit, in oblivione & obscuritate quadam impenetrabili. Discamus exinde nos ipsos occultare, amare silentium & solitudinem. Discamus ita interne mori omnibus rebus terrenis; ita vivendo in mundo, ac si ibi

non

non essemus: *factus sum tanquam vas perditum.* Psal. 30. 24. Ut adeo homines, nostri aliter non meminerint, quam si essemus mortui, & sepulti: *sicut vulnerati, dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius.* Ps. 87. 6. An ita dispositus es; ut talis sis? vide in 2do puncto, in quo imitari valeas hanc occultam vitam Christi Jesu?

PUNCTUM II. Non erit necesse exire in sylvas & deserta, ad ibi inveniendam solitudinem, & ducendi vitam absconditam, propriæ domus nostræ, erunt antra, & desertum nostrum; ibique inveniemus ad exemplum Jesu Christi, nos ipsos vel in medio civitatum occultandi, si fideliter nos oculis hominum subtrahere, vel ab ipsis ignorari velimus, & vivere in perfecta recollectione. Id, quod principale in vita occulta Christi, fuit, erat vita ista tota interna, & vere abscondita animæ illius Deo constanter unitæ, constanter apud se recollectæ, constanter magis viventis vita Dei, quam sua propria & naturali. Et hanc vitam totam divinam, hanc infatigabilem assiduitatem in oratione, & in laboribus, possunt clerici imitari, vel in mediis etiam functionibus publicis ministerii sui. Offeramus ergo nos Christo Jesu, ad hanc vitam occultam, laboriosam, & pœnitentem; & siquidem, æque nos, ac ille, corpore & anima constamus, faciamus corpus nostrum continuo occupari in labore pœnitentiæ; super omnia autem conservemus ani-

mam

nam nostram, in vita omnino spirituali & recollecta in præsentia Dei; memores istorum verborum Pauli: Colofs. 3. 3. *mortui estis, & vita vestra abscondita est in Deo cum Christo.* Accede ad S. communionem, cum fervore & desiderio perveniendi ad talem statum perfectum. Christus Jesus est in S. Eucharistia Deus absconditus: *vere tu es Deus absconditus*; If. 45. 15. si eum sumamus, ut oportet; id addiscemus; & si in nos ipsos descendamus, nosque recolligamus, hoc ipsum inveniemus, afferente hoc ipsum evangelio, Luc. 17. 21. *ecce enim regnum Dei intra vos est.* O Jesu, vive, & regna in me! ut hoc internum regnum inveniam, quod in eo consistit, ut tibi semper uniti maneamus: *mihi adhærere Deo bonum est.* Psal. 12. 8.

* ******************************

DECIMA OCTAVA JANUARII.

Vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. Joan 1. 29.

1. De baptismo Christi. 2. De gratia, quam nos in sacramento baptismi consecuti sumus.

PUNCTUM I. ADmirare hic humilitatem salvatoris, qui se peccatoribus immiscet, ut una cum ipsis baptismum pœnitentiæ recipiat. O quam iste modus procedendi, docet nos, ultro confiteri peccata nostra, & confusionem nobis propterea debitam cum amore supportare!. S. Joannes agnovit

eum,

ĉum sub hac à peccatoribus desumpta appa-
rentia, qua tegere & occultare voluit Domi-
nus id, quod erat, hinc subito exclamavit,
dum eum vidit; *ecce agnus Dei! ecce, qui tol-
lit peccata mundi!* & accedens ad Jesum, cum
tali respectu & reverentia, qua se indignum
credebat, qui ei corrigiam calceamentorum sol-
veret; ait illi: Domine! ego habeo à te ba-
ptizari, quid ità facis? Jesus autem præcepit
ei, ut in functione suâ pergeret, quia *oportet*,
ait, *nos implere omnem justitiam*. Dum autem
Dominus noster taliter se gessit, ac si esset pec-
cator, Pater æternus manifestavit sanctitatem
illius, dum è cælo vocem audiri fecit dicen-
tem, hunc esse filium suum dilectum, in quo
sibi summopere complaceret; & Spiritus san-
ctus, ut appareret oculis hominum, qui non nisi
res materiales videre possunt, formam columbæ
assumpsit, & super illo requievit.

Adora redemptorem tuum hîc in flumine
Jordanis; gratias illi age pro eo, quod reci-
piendo baptismum Joannis, se similem nobis
fecerit, & quidem nobis ut peccatoribus. Ex
amore nostri, in statum nostrum se redigit, spo-
liat se ipsum, si ità loqui fas est, suâ justitia, &
meritis, ut illis nos vestiat. O quam differt à
nobis in suo isto modo agendi! ipse sanctus
sanctorum; pro peccatore haberi vult; & nos,
qui non nisi miserabiles peccatores sumus, non
nisi justi videri volumus: *quasi gens, quæ ju-
stitiam fecerit*. En materiam, quæ sola inte-

gram meditationem facere posset; quia autem juxta opinionem SS. PP. per hanc cæremoniam, per contactum sanctissimi corporis sui, aquas istas sanctificare voluit, pro baptismo nostro, quem postea instituit, quique longe efficacius animas nostras purificat, quam baptismus corpora Hebræorum faciamus hic reflexionem aliquam circa gratiam hujus primi & primarii sacramenti novæ legis.

PUNCTUM II. Ad sublimem de hoc ideam nobis formandam; sufficeret in memoriam revocare, quod scriprura baptismum nostrum, incarnationi filii Dei in sanctissimo utero Beatissimæ Virginis, comparet; si quidem idemmet est Christus Jesus, qui tam in uno, quam altero producitur; idemque Spiritus S. qui hæc mysteria causat; qui obumbravit Sanctissimæ Virgini, reddendo illam Matrem Dei, quemadmodum hodiedum, virtute & gratia sua aquas sacratas baptismi replet, fæcundasque reddit, & idoneas producendi Christum Dominum in anima baptizati Sed dicamus adhuc aliquid majus; baptismus non solum facit in anima Christiani nasci Christum, sed facit ex baptizato alterum Christum; eum Christo incorporat ita, ut verum membrum hujus Divini capitis evadat, & eadem cum illo res. *Admiramini, & gaudete*, exclamat hic S. Augustinus, in Joan. tract. 21. *Christus, facti estis*; quid mirum igitur, si audiamus per Sacramentum istud, Deum fieri Patrem nostrum, & nos filios

filios ipsius; quod Pater æternus, in considera- tione Filii sui Jesu Christi, nos non aliter, quam filios suos charissimos consideret, in quibus sibi complaceat, & quod veniat Spiritus S. requie- scere super nos, per communicationem gra- tiarum suarum, & donorum. O quam pretio- sus Thesaurus est gratia baptismi! sed ubinam est ille Christianus, imo, quod plus est, ille ecclesiasticus, qui curam gerit illam conser- vandi? ipsi de hoc judicemus, & videbimus, an consolationem aliquam habere possimus de hoc bono, quod perdidimus, & de malis, quæ com- misimus? heu Domine, quam turpiter me ipsum dejeci, ab augusto & honorifico statu filiationis tuæ, & factus sum filius diaboli, adimplens vo- luntatem illius, ac peccaminosa illius desideria secutus! passio illa, quam erga creaturas ha- bui, destruxit omnem pulchritudinem in anima mea; nil aliud amplius in oculis tuis sum, nisi corruptio, scio equidem, quod non supersit no- vus & alter baptismus, postquam turpiter pri- mo baptismo abusus fui; sed misericordia tua, de alio mihi remedio providit in laborioso illo baptismo pœnitentiæ, qui ex sangvine tuo, & lacrymis meis constat, fac ô Domine, ut me in hunc immergam, ibique lavem iniquitates meas: *amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Psal. 50. Pro com- munione vel Missa roga Dominum, ut per san- ctissimum Eucharistiæ Sacramentum renovet in te gratiam illam, quam tibi olim in sacramento

baptismi contulit; dic ad eum cum lacrymis & gemitu: *num unam tantum benedictionem habes Pater?* Gen. 27. 38.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

HEBDOMAS SECUNDA POST EPIPHANIAM.

Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam, secundum rationem fidei, sive ministerium, in ministrando, sive qui docet, in doctrina; qui exhortatur, in exhortando. Rom. 12. v. 6. 7. 8.

1. Dona clericis propria. 2. Examen, ad cognoscendum, utrum illa habeamus?

PUNCTUM I. IN Epistola, quam hodie in Missa legimus, instruit S. Paulus fideles, qua ratione uti debeant donis diversis, quæ à Deo acceperunt; initium facit ab illis, quæ ecclesiasticorum sunt propria; uti sunt sacrum ministerium, donum prophetiæ; doctrinæ, & exhortationis. Per *ministerium* oportet intelligere characterem, quem Deus nobis donare dignatus est, elevando nos ad sacerdotium, officia, & dignitates ecclesiasticas. Orig. l. 9. in c. 12. ad Rom. *Per prophetiam* intelligitur, non donum prædicendi futura, prout communiter apprehendere solemus hoc verbum, sed donum declarandi & explicandi secreta & mysteria S. Scripturæ juxta regulam fidei, nihil proponendo, quod huic non sit conforme. *Doctrina* est donum clare explicandi veri-

veritates Christianas; *exhortatio* autem efficaciter inducendi homines, quibus loquimur, ad praxim & exercitium bonorum operum, & ad satisfaciendum suis obligationibus, en dona, quæ clericis conveniunt. Sed, quam pauci sunt, qui hæc dona possideant! siquidem major pars illorum in eo deficit, quod Apostolus ab eis exigit, tanquam fundamentum reliquorum, id est, ut se serio ministerio suo applicent, ad quod à Deo vocati sunt, *sive ministerium in ministrando*. Attendere deberent officio suo, ipsi autem aliis longe rebus intenti sunt. Hæc deberet esse unica ipsorum occupatio, ipsi vero aliis omnino se occupant, an igitur mirum sit, si major pars illorum, nec sint *prophetæ*, nec *doctores*, nec *efficaces* in suis exhortationibus, sed potius aulici, vel politici, mercatores, publicani, eo quod magis se applicant ad hoc, ut placeant mundo. Mercaturæ, & bonorum suorum curæ ac venditioni potius se dedunt, quam lectioni sacrarum scripturarum, aut studio fundamentorum nostræ religionis, vel ut idonei & potentes evadant ad persvadendum odium vitiorum, & amorem virtutis illis, quibuscum loquuntur. Sed non tàm sollicitus esto de aliis, quam ut te ipsum examines, si hæc dona possideas, de quibus hic Apostolus loquitur; quia si ea saltem non in aliquo gradu habeas, quod servitium præstáre poteris Ecclesiæ? & ad hunc finem.

PUNCTUM II. Vide, utrum *Propheta* sis

in eo

in eo sensu, quem paulo ante explicavimus, id est, probe versatus in sacris scripturis ad penetrandum sensum, & mysteria inibi contenta; ad solvenda dubia, & diffilcutates, quæ tibi opponi possent? habesne donum *doctrinæ*? esne in statu explicandi populo, modo quodam securo, & claro, & intelligibili, veritates fidei, tam quo ad mysteria religionis nostræ, quæ scire debent, quam quo ad præcepta, quibus tenentur? habesne dona *exhortationis*? prædicasne valide, aliud non quærendo, quam, ut corda auditorum permoveas, & convertas: *loquimini ad cor Jerusalem*. Is. 40. 2. Potesne idipsum dicere, quod S. Paulus, quod sis legatus Jesu Christi, & quod nomine & auctoritate ipsius loquaris; quod sis vox & organum Dei per communicationem, quam cum ipso in oratione habeas & meditatione? *pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. 2. Cor. 5. 20. Denique applicasne te serio ministerio & officio tuo, quod est unicum medium perficiendi in te dona ista, & ut utilis evadas Ecclesiæ? si vel simplex tantum clericus fores, obligareris tamen vivere, ut clericus, & nec minimas clericatus functiones respuere, si in ordinibus sacris, seu majoribus es, debes hoc ipsum tibi summo honori ducere, & obligatum te scire, exercendi functiones tuas, cum omni devotione, & omni possibili attentione; quia per bonum usum ministerii sui ascendere merentur ministri inferiores ad gradum

ulte-

ulteriorem & superiorem. *Qui enim bene ministraverint*, ait Apostolus 1. Tim. 3. 13 *gradum bonum sibi acquirunt*. Propone igitur, te ex integro functionibus sacris ministerii tui applicare. Quemcunque locum vel gradum in ecclesia teneas, laborare debes ad perfectionem sanctorum, & ad ædificationem corporis Jesu Christi. Ephes. 4. 12. Tale officium sine dubio satis nobile, & tam sublime est, ut honorificum plane tibi sit, illud exercere; tamque magni momenti, ut te totum sibi jure vendicet. Christus Jesus nulli alteri rei se applicavit, durante vita sua mortali; potesne quid melius facere, quam ut exemplum illius sequaris, cujus ministerio decoratus es? quid? Deus totum se dedit, & homines audeant se ipsos dividere in partes? estne hoc tolerandum?

Pro præparatione ad Missam; pete à Deo veniam, quod functiones ministerii tui hucusque adeo neglexeris; conare obligationi tuæ deinceps melius satisfacere, ut cum Apostolo dicere possis, te, quamdiu victurus es, honoraturum ministerium illud, cujus honore Deus te insignivit: *quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*. Rom. 11. 13.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA SECUNDA.

Qui præest, in solicitudine. Rom. 12. v. 8.

DE VIGILANTIA.

1. Quam necessaria sit illis, qui curam anima-
rum habent. 2. Rationes, quare ad illam sint
obligati.

PUNCTUM I. QUi curam fratrum suorum in se suscepit, faciat hoc cum vigilantia, ait S. Paulus, materia hæc est pro meditatione, quæ pastores, superiores, ec-clesiasticos, & generatim omnes illos concer-nit, quibus cura aliorum incumbit. Apostolus omnes hos hortatur, ut necessitatibus eorum invigilent, quos Deus eorum curæ commisit, ut nihil sollicitudinis omittant. *Qui præest, in solicitudine*, id est, quod diu noctuque aliud cogitare non debeant, quam ut provideant ne-cessitatibus animarum illarum, quas dirigen-das in se susceperunt. Magnus hic Apostolus, tam erat persvasus de hac veritate, ut in 2da Epistola sua ad Timotheum, in persona disci-puli hujus, omnes animarum pastores instruens, hanc vigilantiam, tanquam principalem illorum obligationem illis commendet, & inculcet: *tu vero vigila, in omnibus labora; opus fac E-vangelistæ, ministerium tuum imple;* 2. Tim. 4 pastor nunquam ex integro obligationi suæ satisfaciet, nisi vigilet in omnibus, & omni tempore; in hoc puncto deficiat, tantum ali-cui parti officii sui satisfaciet; hoc non suf-ficit, ut salvus fiat. Sit exemplaris & ædifi-catoria vita ipsius. Nondum propterea coram Deo justificabitur, si se cum infatigabili vigi-lantia non applicet, ut scandalis provideat, ut

abusus

abusus irrumpere non sinat, ut regnum diaboli destruat, ut animabus medeatur. *Tu vero vigila*, oportet, ut eorum saluti invigilet, qui curæ ipsius commissi sunt. Vigilantia ista, quam ab ipso S. Scriptura requirit, est tam magna, ut quasi omnem quietem excludat: *discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Pro. 6. 3. O pastores animarum! comprehenditisne bene hanc veritatem? convincitne intellectum vestrum? an ex modo vestro agendi elucet, quod de illa bene persvasi sitis? quia autem res summi momenti hæc est.

PUNCTUM II. Examina hic in particulari rationes illas, quæ vos ad hanc vigilantiam obligant. 1, Non potest in aliqua parochia bonus ordo stabiliri absque labore & difficultate. Pastores obligati sunt, ut bonum procurent, siquidem illis omnibus in persona Apostolorum dictum fuit à Christo Domino, Joan. 15. 16. *posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Certum est, ejusmodi fructum afferri haud posse sine aliqua contradictione, & consequenter sine solicitudine & vigilantia. Parochus, qui nullam curam habere vult, sed quemlibet juxta placitum suum vivere permittit, pastor est, solo nomine talis. *O pastor! & idolum! derelinquens gregem.* Zach. 11. 17. Qui vero obligationi suæ satisfacere satagit, & laborando pro salute animarum propriam suam salutem quærit, facere hoc

non

non potest, nisi erectus & vigilans sit. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Prov. 27. 23. 2. ratio est, quod abusus, incredibili quadam facilitate introducantur; bonus vero usus quantocyus abrogetur! hinc parochus obligatur ad incessanter invigilandum; explorator nimirum, & custos est à Christo Jesu positus, qui in omnem partem invigilet, quo ad scholas, quo ad capellanos, si quos habet, quo ad ecclesiam suam, ut nimirum omnia fiant *dignè Deo*; quo ad ægrotos, quo ad pauperes, circa administrationem sacramentorum; uno verbo in omnibus, quæ quocunque modo ad animarum salutem conferunt: *custos, quid de nocte? custos, quid de nocte?* Is. 21. 11. 3tia ratio est, quod errores, qui à negligentia pastoris proveniunt, ferme omnes sint irreparabiles. Infans moritur sine baptismo, ægrotus sine sacramentis, quis talibus malis medeatur? si aliquis mortem meretur, qui vitam corporalem proximo suo ademit, quid non mereatur pastor ille, qui animas per suam negligentiam absque subsidio mori permittit? cede igitur hisce rationibus; *non dormiamus, sicut & cæteri, sed vigilemus.* 1. Thessal. 5. 6. & pro præparatione ad Missam, roga Pastorem Divinum, quem brevi de altari sumpturus es, ut te participem faciat vigilantiæ suæ, ut ipse quoque in hora mortis tuæ id ipsum dicere possis cum illo: Joan. 17. 12. *Pater sancte, quos dedisti mihi, custodivi; & nemo ex eis peri-*

periit, nisi filius perditionis. Da mihi ô Domine oculos vigilantiæ pastoris, tam raræ, tam necessariæ ! conserva illos semper apertos, ut nunquam obdormiam amplius; largire quæso hanc ipsam gratiam, omnibus omnino pastoribus animarum, & universis ministris ecclesiæ tuæ, ut inimicus nostræ salutis, qui sine cessatione perditioni animarum invigilat, nos nunquam improvisos adoriatur: *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus; prævalui adversus eum*. Psal. 12. 5.

FERIA TERTIA.

Solicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes. Rom. 12. 11.

DE FERVORE IN SERVITIO DIVINO.

1. Obligatio, quam habemus, Deo serviendi cum fervore. 2. Cur illi tam negligenter serviamus?

PUNCTUM I. JUre hortatur nos S. Paulus ad serviendum Deo, cum fervore spiritus, siquidem destinati sumus servituti, tam magni Domini, qualis est ipse Deus. *Dominus est, cui servimus*, totum hoc est, quod dici potest, nec possumus nimium solicitudinis ostendere ad serviendum tanto Domino. Cum quanta cura serviunt homines, regi cuidam terreno? etiam potentissimi ac magni alias Domini honori sibi ducunt, ac obligationis suæ esse

cre-

credunt, ad invidiam usque demonstrandi, quisnam inter illos plus affectionis & servitii regi suo exhibere possit; continuo illum circumstant, & sua obsequia ei deferunt. Pro nihilo habent, statum adeo alligatum & incommodum, quem ultro elegêre, tota fere vita ipsorum in quadam specie servitutis consumitur, quin de hoc conquerantur; sæpius ab ipso Principe molestissimas repulsas patiuntur, & quandoque etiam, vel ab ipsis etiam comministris suis; nihil tamen valet ardorem eorum extinguere, quem ostendunt in servitio Principis sui; unde hoc? quia ille, cui serviunt, rex est; homo equidem est ac illi, sed præditus est suprema potestate; & hoc sufficit, ut se illius servitio inviolabiliter & incredibili fere ardore addicant: *oportet negotia regis impleri*, ajebat impius Nicanor. 2. Machab. 15. v. 5.

Bone Deus! unde hoc, quod tibi tam negligenter ac somnolenter serviamus? reges terræ, quamvis homines sint ut cæteri, nihilominus plures quandoque quam velint, reperiunt, qui se eorum servituti inviolabiliter & unice mancipant, & rex cœli, vix aliquos invenit fideles servos? reges terreni, duras imponunt conditiones, & terribiles suis aulicis, hoc tamen neque numerum, neque affectum illorum erga eos diminuit; tu non nisi svaves & dulces, quia jugum tuum svave & leve est; & quot sunt, qui illud sine murmuratione portent? reges terreni non promittunt, nisi recompensationes in-

cer-

certas, & modicæ considerationis de via ordinaria, nihilominus totus fere mundus post eos currit, & eorum servitio se addicit; tu promittis nobis, quod ipse velis esse nostrum præmium: *ero merces tua magna nimis.* Gen. 15. 1. Promittis bona æterna & infinita; ais, te nos facturum reges in cœlo, si tibi fideliter hic in terris servierimus; & tamen à te discedimus, & vix est, qui tibi cum fervore & devotione serviat? quæso, unde tam insolitus & stupendus agendi modus? hoc ipsum examinandum nunc est in 2do puncto.

PUNCTUM II. Ratio, quare Deo nostro tam negligenter serviamus, hæc est, quod parum nos reflectamus supra honorem illum, qui in nos ex servitio Dei redundat; *Domino servientes.* Ne quæramus, quæso, aliam causam torporis nostri, quam istam Obliviscimur, quod Christus Jesus sit, cui servimus, quod negotia regni ipsius spiritualis nobis tractanda sint; quod materialia huic Divino architecto præparemus, pro structura templi illius, quod pro gloria Patris sui erigit; en causam, quare tam tepidè ac negligenter obligationibus nostris satisfacere studeamus. Si quis pastorum sæpius apud se expenderet, se Christum Jesum visitare, quando ægrotum invisit, certe aliter ad illum non accederet, nisi cum summa reverentia, devotione & fide; sed quia hoc à nobis tantum ex consvetudine fit, etiam valde distracte & negligenter fit. Si bene persvasum nobis esset

Chri-

Christum Jesum in persona pauperis residere; nemo eos tam durè vel adeo contemptim tractaret, si quis attentè cogitaret, Deo nos servire, dum prædicamus, dum instruimus alios, dum aliam ministerii nostri functionem peragimus, haud dubito, majori cum fidelitate & zelo, talia fierent. Sed nonne frequenter loquimur de Deo, & ut ministri illius operamur? verum est, quod os multorum plenum sit Deo, quorum corda Deo vacua sunt; loquuntur de Deo, sed os tantum est, quod loquitur; cor autem nequaquam; occupatur potius rebus terrenis, consequenter valde elongatum à Deo est. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Matth. 15. 8. Time statum adeo periculosum; & vide nunc, an non ipse sis, ex numero istorum tepidorum, quibus Deus ita minatur: *utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es; & non frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc. 3. 15. Noli me ô Domine à te rejicere! secundum meritum teporis mei, & negligentiæ meæ prœteritæ: *ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Ps. 50. Pro Missa; roga Christum Dominum; ut per communicationem sanctissimi corporis sui, accendat in corde tuo ignem amoris sui; & expellat ab eo longe, ac pro semper, omnem teporem & negligentiam, ut ei tali cum fervore, servire possis, quem S. Paulus à suo discipulo poscebat, dum ait: *admoneo te, ut resuscites*

gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. 2. Tim. 1. 6.

FERIA QUARTA.

Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes. Rom. 12. 12.

MEDIA, CONSERVANDI SPIRITUM FERVORIS & DEVOTIONIS.

1. Gaudium, quod affert spes. 2. Patientia in afflictione 3. Perseverantia in oratione.

PUNCTUM II. TRia media suppeditat nobis S. Paulus, ad conservandum fervorem devotionis, ad quem paulo ante nos hortabatur. Primum est *gaudium* illud, quod in nobis causat spes æternorum bonorum, quæ à Domino nostro, cui servimus, exspectamus, *spe gaudentes*. Ut hoc intelligas, alio opus non est, quam ut consideres; quid sit devotio? *devotio*, ajunt SS. PP. (*S.* Th. 2. 2. q. 8. 2. a 1.) est bona voluntas, quæ nos promptos reddit ad omnia, quæ servitium Dei & gloriam illius concernunt; est certa quædam sedulitas, qua pro salute nostra, ac proximorum nostrorum, laboramus, ignis quidam cælestis est, qui omnes actiones novi hominis animat; calcar quoddam est, quod cum urget, & nunquam in tædium aliquod, vel otiositatem, cadere permittit. Facile exinde videre est, quod ut quis veraciter *devotus* sit, in suis piis exercitiis simul conservare debeat in-

ternum aliquod animæ gaudium, quæ sibi cœmā placet in eo, quod servire Deo possit: *servite Domino in lætitia.* Ps. 99. 2. Hæc animadversio & instructio majoris momenti est, quam nobis imaginemur. Quia, si quis sibi non caveat, recordatio peccatorum præteritorum, & sensus prœsentium miseriarum, quas patimur, insensibiliter ac facile in animum nostrum inducunt tristitiam aliquam, quœ sæpius degenerat, deinde in quamdam amaram morositatem, hanc igitur tristitiam, quœ mortem etiam afferre potest, evitare oportet, & servire Deo, in & cum tali gaudio, quod nobis fiducia in ipsius misericordia & continua experientia, de ipsius infinita bonitate inspirare potest: *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Psal. 36. Conservemus itaque nos in hoc sancto *gaudio*, ut longe sit à corde nostro tristitia, quæ est obstaculum omnis boni: *omnis plaga, tristitia cordis est.* Eccl. 25. 17. ait Sapiens.

PUNCTUM II. Secundum medium, conservandi in nobis fervorem pietatis, est *patientia* in adversitatibus. *In tribulatione patientes.* Nil magis nos roborat, quam crux, siquidem illam portemus cum Christo, & in Spiritu Christi; hinc hortatur nos Ecclesiasticus: *conjungere Deo, & sustine.* Eccles. 2. 3. Sustineamus igitur cum humili submissione erga Dei voluntatem, tribulationes, afflictiones, adversitates, morbos & alia ejusmodi mala, à Dei

provi-

providentia, ideo nobis permissa, ut in hac vita habeamus, quod patiamur. Si totum hoc patienter feramus, perfectionem virtutis ibi reperiemus, juxta pulcherrimam hanc S. Jacobi sententiam: *patientia opus perfectum habet.* Non datur perfectio sine patientia, sicut neque patientia, sine adversitate. Perfectio, quam nos tribulatio invenire facit, in & per patientiam; non est perfectio aliqua tantum idealis; sed probata in fornace tanquam aurum, quæque nos consolatur per internum & tam efficax testimonium Spiritus S. ut dicat, esse nos filios Dei, utpote æque ad passionem ac fidem Christi Jesu vocatos: *quia vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed, ut etiam pro illo patiamini.* Philipp 1. 29.

PUNCTUM III. Tertium medium conservandi nos in spiritu fervoris, *est oratio*; sed talis, quæ sit sine intermissione, *orationi instantes.* Quemadmodum id, quod in causa est; quod sagitta procul, ac quam fortissimè protrudatur; ab arcu, bene & valide intenso provenit; sic etiam afflictiones & adversitates stringendo aliquo modo, & arcendo cor nostrum, vim conferunt orationi nostræ, & faciunt, ut ad cœlum usque pertingat, & in vitam æternam, oratio, sine tristitia compunctionis; sine timore; sine magna fiducia & grandi desiderio peracta, cadit in terram; si autem prædicta intus in nobis sentiamus, orationem nostram faciunt esse continuam. Non possumus sine in-

termissione persolvere preces vocales, neque semper orare mentaliter, sed amare possumus semper & continuo, semper timere, semper sentire pondus & onus miseriarum nostrarum, æque, ac beneficia Dei, quibus in momenta singula obruimur; & cor nostrum nunquam vacuum debet esse, ab his instantiis & internis affectibus. *Per omnem rationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia.* Ephes. 6. 18. Curæ & solicitudines hujus vitæ in causa sunt, quare in cordibus sæcularium sæpius extinguatur ignis iste; sed in corde clericorum nunquam extingvi debet, qui talibus curis & inquietudinibus tam distracti & divisi non sunt. Propone igitur deinceps esse assiduus in oratione, ut illum decet, qui tanquam minister ecclesiæ ratione status & professionis suæ, ad cultum Dei, & ad servitium altaris destinatus est; & pro præparatione ad Missam, pete à Deo etiam reliqua duo media, quæ prius expendisti, ut ei majori cum fervore, servire valeas. O Domine, qui vis, ut tibi serviamus, *in spiritu & veritate*; quique potius cor, quam manus respicis, largire nobis hoc sanctum *gaudium*, hanc in adversitate *patientiam*; hancque in oratione *perseverantiam*, ad quam nos Apostolus tuus hortatur, & tanquam propriissima media ad pergendum in via perfectionis præscribit. *Ferveamus in itineribus bonorum operum, hoc est enim ambulare nostrum.* S. August. in Ps. 32. ennarat. 3: n. 10.

FERIA QUINTA.

Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Rom. 12. 13.

DE CURA PAUPERUM.

1. Zelus, quem clerici habere debent, ut eos solentur. 2. Quâ ratione id facere debent.

PUNCTUM I. PRædicat hic nobis S. Paulus curam ac solicitudinem, quam circa pauperes habere debemus; appellat illos *Sanctos*, ut nos amplius moveat, & ostendat, quod æque reverentiam nostram mereantur. Vult, ut eos non solum consolemur, sed insuper etiam cor nostrum illis concedamus, & partem aliquam in eorumdem miseriis habeamus; *non dicit, necessitatibus illorum subvenite*, ait S. Chrysostomus, *sed necessitatibus illorum communicantes*. Zelus, quem circa pauperes Apostolus iste habuit, tam magnus erat, ut nullam ex ejusdem epistolis inveniamus, ubi eorum non meminerit, prout ipsi à S. Petro, S. Jacobo, & S. Joanne fuerat demandatum: *tantum, ut pauperum memores essemus; quod etiam sollicitus fui, hoc ipsum facere*. Galat. 2. 10. Negotium istud adeo ipsi cordi erat, ut plus quam trecentas leucas, itinerando confecerit, quo pauperibus Jerosolymitanis eleemosinas collectas afferret. An non satis sit hoc exemplum ad accendendum in nobis ignem charitatis nostræ? quilibet ergo clericorum, verba ista prophetæ non aliter attendat, ac si sibi dicta forent: *tibi derelictus est pauper; orphano*

orphano tu eris adjutor. Ps. 9. 38. sed magis adhuc in particulari, ac singulari quodam modo pastores animarum sibi ea applicent; quia cum sint patres populi, & successores Apostolorum in curâ animarum, obligatio magis stricta iis incumbit pauperes consolandi, illisque de necessariis providendi; & hic vocantur à SS. PP. *provisores pauperum.* S. Justin. Ap 2. id est, quod omnibus eorum indigentiis subvenire debeant, nec unquam lassari, tum ut per se ipsos illos juvent, tum ut aliis idipsum commendent. Quia omnibus eorum necessitatibus ipsi satisfacere nequeunt, debent ád exemplum S. Augustini, Serm. 58. de B. V. in ipsorum favorem, vices subire legatorum apud fideles; & in hunc finem adhibere preces, exhortationes, obsecrationes, quo illis subveniant: *quia ergò ad eorum necessitatem explendam idonei non sumus, ad vos legati ipsorum sumus.* Examina te modo, quem zelum hucusque circa pauperes habueris? anne negotium hoc tanquam gloriosissimum ad ministerium tuum pertinens considerasti, ut eorum necessitatibus subvenires, juxta pulcherrima verba ista S. Hieronymi? Epist. ad Nepot. *gloria sacerdotum est, pauperum inopiæ providere.* Domus tua, asylum illorum est, tenesne apud te indicem illorum? qui in tuâ Parochiâ sunt, ut nulli debitum subsidium desit; quemadmodum S. Carolus, & tot alii sancti pastores fecerunt? solitusne es illos consolari, in eorum miseriis visi-

visitare illos? dum ægrotant; instruere ignorantes, ad exemplum nostri divini magistri, qui declarat se à Patre suo æterno specialiter ad hoc fuisse deputatum ac missum? *pauperibus evangelizare, misit me*. Luc. 4. 18. Ah quoties defuisti hucusque obligationi tuæ circa pauperes! pete veniam à Deo; & ut te corrigas.

PUNCTUM II. Audi nunc modum, quem nos tenere vult S. Paulus in illis consolandis, duas circa hoc nobis præscripsit regulas in epistola, quam hic explicamus. *Qui tribuit in simplicitate*. En primam! oportet eleemosynam dare in & cum *simplicitate*, id est, non sibi ipsi applaudere de bono, quod fratribus nostris præstamus; neque exinde laudem hominum quærere, sed unicè gloriam Dei, & solatium pauperum; quicunque hanc rectitudinem intentionis non habet, non agit *simpliciter*, ait quidam è PP. (Origenes l. 9. in c. 12 ad Rom *non est ergo simplicitas, si aliud videatur agi in manibus, & aliud quæratur in corde*. Hæc *simplicitas* juxta S. Chrysostomum consistit non solum in eo, ne quis proprium suum interesse, vanitatem, complacentiam quærat, aut acceptor personarum non sit, sed, ut insuper illas frivolas humanas ratiocinationes reijciat, quæ impedire solent, ut quis in largitione eleemosynæ tam largus & effusus non sit, ac oportet esse: *non enim sufficit dare; oportet & largiter illud facere*. 2do. vult Apostolus, ut eleemosyna

syna detur *cum gaudio, qui miseretur in hilaritate*. Qui non nisi coactè, & quasi per vim dat, non potest Deo placere; ad hoc, ut illi eleemosyna placeat, debet esse effectus charitatis; & non donum tale, quod quasi ab avaritia extorqueri debeat, ut alibi docet Apostolus: *hilarem enim datorem diligit Deus*. 2. Cor. 9. 7. Enim vero, an non materia vel causa magni gaudii sit, quod Deus nostro ministerio uti velit ad succurrendum filijs suis, & membris vivis filii sui? quod nos instrumenta faciat providentiæ suæ, & pro solutione debitorum nostrorum acceptare dignetur dona talia, quæ nonnisi ipsius sunt? felix ille dives, qui veritates hasce apprehendit, & regulas istas apostolicas sequitur; dando nempe eleemosynam, acquirit thesaurum in cœlo, qui nunquam finem habiturus est.

Pro præparatione ad Missam; roga Jesum, ut cordi tuo ejusmodi sensus inspirare dignetur. Domine Jesu, qui toties incordibus nostris, per sanctam communionem habitas, fac nos misereri fratrum nostrorum; &, ut hoc contenti non simus, toties te de altari sumere, sed ut te insuper in domos nostras recipiamus in persona pauperum, ut tandem etiam nos illud audire mereamur in extremo die judicii, quod tunc ad electos tuos dicturus es: *hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me; & amen dico vobis, quamdiu fecistis uni, ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Matth. 25. 36. 40.

FERIA SEXTA.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jesu ibi Joan 2. 1.

DE MATRIMONIO.

1. Sanctitas hujus sacramenti non in sufficienti honore est apud eos, qui illud recipiunt.

2. Instructio, quam ecclesiastici iis de hoc dare debent.

PUNCTUM I. PRincipalis intentio, quam ecclesia habet, dum nobis proponit evangelium de nuptiis in Cana Galilææ, est, ut nos inducat ad instruendum populum circa ea, quæ sacramentum matrimonii concernunt, cujus sanctitas, neque satis cognita, neque satis in honore est illis, qui illud recipiunt. En! quam obligati sint clerici, & inter eos præcipuè pastores animarum, ut è cathedra, maxime autem in confessionali verba ista S. Pauli Hebr. 13. 4. proponant: *honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*; matrimonium quoad omnia cum honestate tractandum, & thorum nuptialem sine macula esse debere. Non est mirum, si pagani, qui ignorant Deum, se totos brutalitati passionum suarum dedant; propriaque sua corpora inhonorant, & deturpant ex motivis purè carnalibus invicem sibi copulentur; sed quod Christiani, qui filii Dei, & secundum vocationem suam, sancti esse deberent, statum istum amplectantur, corde omnino impuro, res est prorsus abominablis coram Deo, & nihilominus id-

idipsum est, quod quotidie fieri cernimus. Quot sunt, qui nonnisi ex motivo proprii interesse, & ambitionis matrimonium ineunt? vel ad satisfaciendum sensualitati? quot sunt, qui sacramenti hujus gratiam negligunt? qui ad illud accedunt sine requisitis ad dignam illius susceptionem dispositionibus? anne mirum deinde sit si in matrimonio instar infidelium vivant? si in plerisque familiis & domibus, nil aliud videre sit, quam divisiones, dissensiones & morum perversitatem? quomodo salutem suam quis operari valeat in tali statu? à quo Jesum prima statim die, qua illum amplectitur, excludit? dum loco castitatis, orationis, & eleemosynarum, quæ media illa sunt, divinum hunc hospitem invitandi, aliud non videtur inter conjuges christianos, quam impuritates, saltationes, crapulæ, & ebrietates. Bone Deus! an non sufficiant tanti abusus; accendendi zelum ecclesiasticorum, præsertim parochorum? qui per se obligati sunt ad instruendum populum circa sanctitatem matrimonii?

PUNCTUM II. En tibi duo, vel tria capita principalia, in & de quibus oporteat christianos instrui? 1. oportet eos scire & bene comprehendere, quod ad statum matrimonialem indigeant vocatione Dei; omnes in hoc conveniunt, quod qui statum clericalem, vel claustralem amplecti vult, particulari vocatione indegeat; quantum vero ad statum conjugalem, pauci sunt, qui vocationem singularem

neces-

neceſſariam putent, ut quis eum ampleꝺatur; popularis hic error eſt, quem dedocere oportet chriſtianos, dicendo illis cum S. Paulo, quod qui matrimonium inire cupit, faciat hoc chriſtianè, ac nonniſi conſulto Deo; *nubat in Domino*, 1. Cor. 7. Dei eſt, deſtinare certos homines huic ſtatui, quemadmodum aliis ſtatibus; & ſi quis illum ampleꝺitur contra ipſius voluntatem, timendum illi eſt, ne tota vita ſua infelix ſit, quod ipſum inſinuare nobis vult ſcriptura, dum ait, Prov. 19. 14. *domus, & divitiæ dantur à parentibus; à Domino autem propriè uxor prudens.* 2. Proponi & demonſtrari illis debet, qui conjugium inire volunt, quod ad id ſine honeſto duci, & moveri debeant; e. g. ut unus alteri ſubveniat, ut eo facilius hujus vitæ incommoda tolerent, & majori cum utilitate, propriam ſalutem operari valeant, hoc motivum videtur inſinuari per hæc verba Geneſis cap. 2 *non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Aliud motivum, quod ſponſi habere debent, quodque etiam ſancti Patriarchæ habuêre, eſt, deſiderium procreandi liberos, non tam, ut hæredes bonorum ſuorum habeant, quam, ut eos ad pietatem forment, quo ſuo tempore inter eleꝺos computentur in regno cælorum: *hæc debet eſſe piorum conjugum intentio*, ait S. Auguſtinus contra Julian. *ut regenerationis generatio præparetur*: 3. eſt, ut bene inſtruantur circa uſum matrimonii, *ut ſciat vas ſuum unuſquiſque poſ-*

ſide.

sidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum, 1. Thessal. 4. 4. Oportet eos sapienter & prudenter monere, ut castè utantur matrimonio, ut sibi invicem fidem servent, ut Deum timeant, & soliciti sint circa educationem liberorum suorum: *bonum ergo sunt nuptiæ*, ait S. Augustinus de bono conjug. c 19 *in quibus tantò meliores sunt conjugati, quantò castiores & fideliores Deum timent; maxime, si filios, quos carnaliter desiderant, etiam spiritualiter nutriant.* Itane instruxisti eos? qui antequam matrimonium inirent, curæ tuæ se commiserunt? si quoad hoc obligationi tuæ in re tanti momenti non satisfecisti, cape hodie adhuc resolutionem, rem istam deinceps accuratiùs pertractandi; sed memor esto semper, quod hoc tanto majori circumspectione fieri debeat, quanto magis cavere debes, ne propriam animam inquines, dum laborare vis ad sanctificandos alios. Hanc gratiam hodie petere potes, pro præparatione ad Missam; ô Domine, qui ipse vis, ut sancti simus, si ad te accedere volumus, conserva nos, quæso, omni tempore, & loco in sanctitate illa, quam à nobis requiris. Illi clerici, quibus cura non incumbit instruendi sponsos, vel personas conjugatas, possunt meditationem hodie instituere, de nuptiis spiritualibus, & illam intimam conjunctionem considerare, quam Dei filius cum illis, in & per S. communionem contrahit. O

quan-

quantam hic materiam inveniunt, seipsos humiliandi, si considerent, non solum improportionem infinitam, quæ inter illos intercedit, & divinum animarum suarum sponsum, sed insuper etiam infidelitatem suam, circa hoc, hucusque commissam: *vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.* Thren. 1. 11. Miserere mei, & compatere vilitati, ac paupertati meæ; converte aquam in vinum, id est, imperfectiones & defectus meos in virtutes; *cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis,* Ps. 78. 8.

* * * * * * * * * * * * * * *

DIE SABBATHI.

Vocatus est autem & Jesus, & discipuli ejus ad nuptias. Joan. 2. 2.

DE CONVIVIIS.

1. Cur Jesus interesse voluerit nuptiis in Cana.
2. Cur ecclesiastici convivia evitare debeant?

PUNCTUM I. Quamvis D. N. J. C. interesse voluerit huic convivio, una cum discipulis suis, non tamen exinde sequitur, clericos pariter iisdem interesse posse, ut adeo nonnisi prudentissime illis talia convivia, & societates interdixerit ecclesia. Habuit divinus servator noster suas particulares rationes, cur nuptias istas sua præsentia honorare voluerit; præterquam quod, cum fuerit ipsa sanctitas, capax non fuerit, vel minimam maculam exinde contrahendi; vole-

bat,

bat, ait S. Augustinus, serm. 123. nov. edit. & tract. 9 in Joan. ostendere, quod esset auctor matrimonii, & in futurum condemnare errorem quorumdam hæreticorum, qui illud, ut rem malam, detestabantur; volebat illud elevare ad dignitatem sacramenti, & illi tales conferre gratias, quæ sufficerent, ad sanctificandos eos, qui statum, tot tentationibus expositum, amplecti vellent; item intendebat nobis exponere mysterium, in hoc magno sacramento absconditum, & docere, quod esset figura, & imago unionis, & ineffabilis conjunctionis, quam cum natura nostra, & ecclesia, inire & contrahere voluit; intendebat palam facere potentiam suam, per quoddam miraculum, ut sic confirmaret fidem discipulorum suorum; item sublevare necessitatem consangvineorum sanctissimæ Matris suæ; lucrari insuper corda affinium suorum, eos abstrahendo à rebus istis terrenis, ut secum uniret, inspirando eis amorem virginitatis; insuper hoc addere possumus, quod generaliter omnibus christianis, exemplum modestiæ, ac temperantiæ in ejusmodi occasionibus præbere voluerit; siquidem de isto nuptiali convivio, idipsum vere dicere possumus, quod Tertullianus de convivio primorum christianonum, *agape*, dicto, dixit, apolog. ad gentes; quod non tam convivium fuerit, quàm lectio, seu doctrina sobrietatis, & frugalitatis: *ut non tam cænam, quam disciplinam gustasse videantur.* Vide nunc obiter, qua-

liter

liter te hucusque in conviviis, quibus interes fuisti, gesseris? &c.

PUNCTUM II. Disce modo rationes, cur talia evitare debeas. Prima desumitur ex sollicitudine, quam habere debes de propria tua reputatione, & servando honore ministerii tui, apud sæculares, qui ordinarie illos clericos contemnere solent, qui convivia amant, & ventri suo deserviunt: *facile enim contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, ire non recusat*, ait S. Hieronymus epist. ad Nepot. Alia ratio est, quod virtus clericorum, nimis magno periculo exposita sit; & quod bonum forte illorum præsentia præstandum, vel mala per eos impedienda ibi, in comparationem venire non possint cum inconvenientiis, quæ ibi accidere solent, quæque toti mundo nimium constant ab experientia, cum magno scandalo ecclesiæ; hinc plures edidit canones, in quibus clericis talia convivia, præsertim nuptialia, interdicuntur; rationes in compendio refert quoddam concilium Gallicanum, (concil. Agath. ann. 506. can. 23. refertur dist. 34. cap. presbyter.) *Præsbyter, diaconus, subdiaconus, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia; nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia; aut obscæni motus corporum, choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus, & obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum*

torum contagione, polluantur. Ejusmodi igitur conventui, ubi plerumque levitates, una cum aliis committuntur, verba liberiora, ludicra, scurrilia proferuntur, quæ inter sanctos audiri, vel saltem tolerari non deberent; ejusmodi, dico, societatibus, ubi neque Dei, neque obligationum nostrarum, amplius memores sumus; non tantum interesse noli; sed deplora potius illorum mundanorum ecclesiasticorum cœcitatem, qui quasi continuo conviviis intersunt, vel in propriis domibus, vel alibi, qui ejusmodi occasiones quærunt; qui è domo sua academiam quasi lusuum & helluationum faciunt, qui primi sunt ad provocandum alios ad æquales haustus, quique post transactam noctem integram in excessivo potu, temerario ausu mane ad altare accedunt absque ulla peracta prius confessione. Fuge societatem talium perversorum clericorum; audi Apostolum, Rom 16. 18 *declinate ab illis; hujuscemodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Pro præparatione ad Missam, totus esto occupatus, & intentus sanctissimo Eucharistiæ convivio; quia tam felix es, ut toties hoc cœlesti pabulo nutriri possis; nauseare & contemnere debes cepe & allia Ægyptiorum; volo dicere, tales delicias & voluptates, quæ in ejusmodi conviviis inveniuntur; si tamen quandoque ex honestate & decentia iis inesse cogaris, ita modestè & temperanter ibi te geres

prout

prout à te ministerium tuum requirit, nempe, ut Deo placeas, & proximum ædifices: *sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus: sed induimini Dominum Jesum Christum.* Rom. 13. 13.

* * * * * * * * * * * * * * * *

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Rom. 12. 17.

REGULÆ PRUDENTIÆ CHRISTIANÆ.

1. Proprio suo judicio diffidere. 2. Consulere alios.

PUNCTUM I. PRæscribit hic nobis S. Paulus, regulas sapientiæ, ac prudentiæ christianæ; instructio, quam nobis desuper dat, hæc est, ut nobis ipsis non simus sapientes; estque idipsum, quod nobis Spiritus sanctus interdicit his verbis: *ne innitaris prudentiæ tuæ.* Prov. 3. 5. O quam necessarium hoc est documentum, non solum omnibus hominibus, sed vel maxime clericis! qui nunquam satis sibi ipsis diffidere possunt in tot difficultatibus, quæ ipsis in exercitio ministerii sui occurrere possunt, Assume hoc pro materia meditationis tuæ: *ne sis sapiens apud temetipsum*, ibid. v. 7. ecce! circa quod te quam utilissime occupare possis; sibi ipsi sapientem videri, ac proprio lumini, seu scientiæ fidere, præsumptio est tam periculosa, ut scriptura sa-

era de illa non aliter loquatur, nisi cum indignatione, & male ominando: *væ! qui sapientes estis in oculis vestris; & coram vobismetipsis prudentes.* Is. 5. 21. Quo magis sibi complacet Deus, lumen suum in eos effundere, qui parvuli sunt in oculis suis, qui de sua modica intelligentia & scientia persuasi sunt; qui propriam infirmitatem suam agnoscunt; tanto magis etiam complacet sibi, tenebras effundere animabus illis superbis, quæ de viribus suis, de proprio lumine, temerè præsumunt; citius convertet hominem gravibus & infamibus sceleribus oppressum, quam aliquem ex ejusmodi falsis sapientibus, qui cum illo Episcopo in apocalypsi dicunt, cap. 3. 17. *dives sum, & locupletatus, & nullius egeo.* Neque difficile est rationem hujus rei detegere; quia ejusmodi infamia scelera secum ipsis portant, & causant horrorem illis qui talia in se considerant, se ipsos horrori & abominationi habent, facilius se ipsos humiliant; & odorando & sentiendo putredinem, quasi ac saniem, quæ ex vulneribus eorum provenit, cælestem medicum inclamant; plus docilitatis habent, & cæca quasi, ac integra submissione, se ab eis duci permittunt, qui eos dirigunt; quid autem faciet medicus iis, qui se ipsos curare volunt, vel potius, qui se ægrotos esse minimè credunt? qui alios contemnunt; vel aliorum compassione non tenentur, & propriam cæcitatem ignorant? qui vident festucam in oculis fratris sui, & trabem

in proprio non advertunt; tales erant pharisæi. Erant ipsi turpi vanitate inflati; solos se habiles, vel saltem habiliores aliis credebant, nullius, nisi propriam sententiam sequebantur, se ipsos tanquam magistros in Israël, considerabant; duces cæcorum sibi ipsis videbantur, & lux eorum, qui in tenebris erant, ac clavis scientiæ; sed quid cum his omnibus lucrati sunt? publicani, & meretriciæ mulieres convertebantur, & cœlum intrârunt; à quo ipsi excludebantur. Deus avertat, ne id ipsum adhuc hodiedum in ecclesia accidat, ut, dum simplices fideles ac christiani verbum Dei audiunt, & alios consulunt, regnum cœlorum ad se rapiant; multi è contra clericorum, dum sibi ipsis sapientes videntur, per suam superbiam & præsumptionem non seipsos perdant, & damnent. Diffide igitur proprio tuo sensui; & memor esto, ministerium tuum, quod exerces, ministerium esse humilitatis: & quamvis nescio quæ talenta, studium, aut sublimem intellectum, habeas, te in infinitis quasi occasionibus cœcum tamen esse experieris, consiliique alieni indigum, ut prudenter agere possis: *consilium custodiet te, & prudentia servabit te.* Prov. 2. 11.

PUNCTUM II. Quamprimum clericus de hoc persvasus fuerit, non posse se absque temeritate, proprio lumini, seu judicio fidere, per se sequitur, illum debere audire confratres suos, & ab iis consilium capere, qui idonei sunt ad aliquod dandum: *audiens sapiens sa-*

pientior erit; & intelligens gubernacula possidebit. Prov. 1. 5. Æque ad ecclesiasticos, quam ad alios, sequentia dirigit sapiens, *fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pænitebis.* Eccles. 32. 24. en regulas, à quibus nullus hominum eximi potest; examina te ipsum, quomodo eas observaveris? an non nimium proprio sensui tuo adhæsisti? ita quidem, ut omnes actiones tuas, ipse solus regere & ordinare volueris, absque reflexione ad hanc regulam seu doctrinam sanctorum? *qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit* S. Bernard. epist. 87. An non illa bona de te ipso opinio in causa est, cur negligas eligere bonum quemdam directorem, pro necessitatibus & dubiis conscienæ tuæ? *consiliarius sit tibi unus ex mille,* Eccles. 6. 6. An non ita temerarius fuisti, ut statum, ac officia ecclesiastica amplexus fueris absque consilio, tuum proprium judicium pro magistro, & arbitro vocationis tuæ statuendo? denique in tot difficultatibus, quæ in ministerio tuo, & functionibus tuis fere quotidie occurrunt, nunquam credidisti te sufficienti lumine prædiutum, quin necesse habeas alios consulere? neque considerans, quod nec sapiens, ac multæ experientiæ homo totum videat, quod videre deberet; quodque utilissimum sit, etiam illos consulere, qui minus sapientes, & experti videntur? *salus autem, ubi multa consilia,* Prov. 11. 14. Humilia te itaque, quod quo ad hoc pun-

punctum tam parum exactus fueris, forte hoc ipsum, quod hucusque in omnibus, proprium tantum sensum tuum secutus fueris, quin à Deo, vel iis, qui te hac in parte instruere potuissent, consilium exquisieris, origo fuit omnium errorum tuorum, quos commisisti? *os Domini non interrogaverunt*. Roga veniam de præterito; & in posterum nihil age, absque consilio virorum prudentum; roga Christum Jesum, magni consilii angelum, quem in sanctissima Eucharistia sumpturus es, ut hanc tibi gratiam concedat; prostratus in genua coram sacro altari pete ab ipso, hunc spiritum sapientiæ tibi adeo necessarium: *da mihi Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam; mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret; ut sciam, quid acceptum sit apud te*, Sap. 9. 4. 10.

FERIA SEDUNDA.

Providentes bona non tantum coram Deo; sed etiam coram omnibus hominibus, si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Rom. 12. 17.

QUA RATIONE, & MODO, VIVERE DEBEANT CLERICI, INTER, & CUM SÆCULARIBUS.

1. Debent illos ædificare, & pacem habere cum illis. 2. Pax ista eos impedire non debet, ab impugnandis, & debellandis eorum vitiis.

PUNCTUM I. OMnes homines generaliter, pusilli & magni, divites & pauperes, obligati sunt, præceptum hic ab Apostolo nobis datum, observandi, ut sint soliciti bene faciendi, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, & vivendi in pace, quantum fieri potest, cum omnibus. Si autem hæc obligatio indispensabilis est, respectu fidelium cujuslibet status, aut conditionis sint, infinite magis stringit clericos; sunt enim *lux mundi*; neque ob alium finem positi sunt supra candelabrum ecclesiæ, quam ut sublimius luceant, quo major illorum bonis exemplis Deo reddatur gloria, & homines eorum exemplo ad exercitium virtutum inducantur. Præpositi nempe sunt fidelibus, tanquam exemplar: *forma facti gregis ex animo*, 1. Petri 5. 3. radiare debent instar astrorum, ut in tenebris vitæ hujus luceant, & quaquaversum bonum odorem Christi Jesu de se spargant; hinc non satis est, si in sanctitate solum in præsentia Dei ambulant; debent tales etiam apparere coram hominibus; non debent contenti esse, si nihil faciant, quod oculos hujus interioris testis divini, cujus oculi tam perspicaces sunt, offendat; sed tam regulariter, & ordinate coram hominibus, qui omnes gressus eorum tam solicite observant, ambulare, ut nihil ab eis fiat, quod proximo esse posset in scandalum: *providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Bonum exemplum, quod cleti-

tici

rici populo dare, obligantur, debet eos etiam ad hoc urgere, ut cum ipſis in pace vivant: *cum omnibus hominibus pacem habentes*, memores eſſe debent, ſe eſſe à Domino electos, tanquam angelos pacis, qui eam quocunque vadant, ſecum afferant, & ſtabiliant; *in quamcunque domum intraveritis, primum dicite; pax huic domui*. Luc. 10. cum per eminentiam gradus ſui, in eccleſia aliis excellant, ideo ſpecialiter laborare debent, ut pacem & bonum ordinem ubique conſervent, ut ait *S*. Auguſtinus, in Pſal. 17. *excellentes quippe in eccleſia, paci debent, vigilanti intentione conſulere*. Illi ſunt, qui controverſias, inter parochianos ſuos, componere; diſſenſiones inter familias tollere; patrem cum filio, maritum cum uxore, vicinum cum vicino conciliare debent; uno verbo, omnibus id ipſum dicere debent, quod S. Paulus ad Hebræos ſcripſit: *pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*. Hebr. 12. 14. Hæc eſt obligatio clericorum, ſi utiliter ad ſalutem animarum laborare velint. Examina te ipſum modo, qualiter in hoc puncto, uſque in præſens te geſſeris? ſervaſne ipſe bonum ordinem? daſne bonum exemplum? amaſne & quæris ſincerè pacem? nil tibi inter parochianos tuos componendum reſtat? fersne injurias cum patientia? evitaſne omnia, quæ hanc ſanctam pacem turbare poſſent, adeo nobis ab Apoſtolo commendatam; & ſine qua nihil boni procurare

potes

potes inter eos, qui directioni tuæ commissi sunt; quia autem S. Paulus hic exceptionem adjicit, dicendo: *si fieri potest: & quod ex vobis est*, hinc adverte in 2do puncto, quod pax illa, de qua hic loquitur, minime impedire te debeat, quin peccatores reprehendas, & vitiis eorum bellum indicas.

PUNCTUM II. Scias igitur, duas esse species pacis; unam *internam*; alteram *externam*; *interna* consistit in illa tranquillitate animi, quæ in fundo cordis conservatur; quæ semper conjuncta est cum vera charitate, id est, quod sincerissime diligamus Jesum Christum, & fratres nostros, quamvis, nescio quomodo irritati contra illos videamur; *externa* consistit, in quibusdam signis exterioribus unionis, & amicitiæ, proximo à nobis datis, vel quæ ab ipso recipimus, quidquid accidat; primam illam pacem nunquam licet interrumpere, siquidem nunquam permissum est, amicitiam seu charitatem erga fratres nostros tollere. Quantum ad alteram, & si omnia, quæ à nobis dependent, impendere debeamus, ut hœc conserventur, nihilominus plurimæ dantur occasiones, ubi ab ea cessare debemus; & hoc accidit toties, ait S. Gregorius, quoties id proximi salus & Dei gloria, & honor exigit: *pacem cum eo exteriorem solvite, sed interiorem circa illum medullitus custodite; ut peccantis mentem sic vestra discordia feriat, quatenus pax à cordibus vestris nec abnegata discedat*, Pastoral. p. 3.

p. 3. admon. 23. Si paſtor e. g. toleraret in ſua parochia tales exceſſus, quibus mederi poſſet per ſuam admonitionem, falſus eſſet paſtor, & prævaricator miniſterii ſui, ſi talia diſſimularet ex apprehenſione, quod eorum inimicitiam incurreret, qui talibus infecti ſunt, & qui ſcandalo ſuo reliquum gregem inficiunt; ſi vel ipſe dominus loci, vel honoratiores in parochia ſic offenderentur, dum ordinationem Epiſcopi ſui exequeretur, & choreas diebus dominicis, & feſtis, exceſſus in hoſpitiis committi ſolitos, vel ſimiles abuſus abrogare deberet, nequaquam hæſitare deberet; alias negligeret præceptum Domini, qui ait: *exalta, quaſi tuba vocem tuam*; item, *nolite timere eos, qui poteſtatem habent in corpora*, & bona temporalia; imo nec illi ad hoc ſilere debent, quibus ex officio non incumbit, opponendi ſe, & ſiſtendi curſum ejuſmodi ſcandaloſum: *ferveat in nobis*, ait S. Bernardus, ſvaviſſimus alias, & moderatiſſimus ſanctorum Patrum, ſerm. in nativ. S. Joan. Bapt. *amor juſtitiæ, odium iniquitatis, nemo fratres vitia palpet, peccata diſſimulet nemo, quod in ſe eſt, æquanimiter ferat, cum viderit ordinem diſperire; minui diſciplinam; eſt enim conſentire, ſilere cum arguere poſſis, & ſcimus, quia ſimilis pœna facientes maneat, & conſentientes*. Cuilibet hoc incumbit (ſalva tamen prudentia & charitate) ut ſtudeat eradicare vitia, reſcindere malas conſvetudines non obſtante contradictione, & offen-

offensione phreneticorum ægrotorum, qui me- dicum verbis injuriosis invadunt. An ita huc- usque dilexisti fratres tuos? & vitiis bellum indixisti? roga Deum pacis, quem hodie de al- tari sumpturus es, ut te talem faciat. O Do- mine, qui nos mittis in mundum, tanquam agnos inter lupos, dona nobis spiritum pacis, ut sem- per uniti maneamus cum fratribus nostris, non solum illis, qui boni sunt & mansveti, sed iis etiam, qui graves nobis sunt & molesti, sequendo in hoc verbum prophetæ tui, *cum iis, qui oderunt pacem, eram pacificus*. Psal. 119. sed simul etiam nobis inspira, tantum animi & fortitudinis, ut non toleremus in ipsis tales de- fectus, ad quos corrigendos charitas nos ur- get; fac, ut eos ita diligamus, quo simul in iis odio habeamus peccatum, quod & tuus, & no- ster est inimicus, juxta mentem cujusdam S. Patris: *diligite homines, interficite errores*, S. August. Hom. 6.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA TERTIA.

Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim, mihi vindi- cta, ego retribuam, dicit Dominus. Rom. 12. 19.

DE VINDICTA.

1. Quam dedeceat clericum. 2. Remedia contra illam.

PUNCTUM I. NOn potest quidquam ef- ficacius afferri ad repri-

mendam vindictæ cupiditatem, quàm allegata ex S. Paulo verba: *non vosmetipsos defendentes &c.* audita enim hac sententia, quid dici posset de tali christiano vindicativo, nisi, quod monstrum quoddam sit christianæ religionis, utpote, quæ tota ex charitate constat; quid? anne audeat vermiculus terræ, usurpare jus & potestatem divinam? quanta hæc temeritas? quid? anne audeat discipulus Christi Jesu se moveri odio, & ad vindictam trahi? quis furor? quæ rabies? sed quid cogitandum de clerico, qui mancipium sit hujus tam turpis passionis? quale scandalum! si videamus eos, quos oportet prædicatores esse mansvetudinis, & moderationis christianæ, plus habere fellis, & iracundiæ, quam ipsos paganos, & gentiles philosophos? Interim, nonnisi plus quam verum est, dari ejusmodi clericos (quod sanè deplorandum) sunt nimirum, qui tam infelices sunt, ut vel ipsa cathedra veritatis, & auctoritate, quam habent administrandi sacramenta, utantur, vel potius abutantur ad satisfaciendum suæ iracundiæ, & ad demonstrandum se fuisse offensos, & cathedra, & prædicta auctoritas, in eum finem ipsis commissæ sunt, ut justam Dei iram in peccatores ab iis avertant, ipsis autem servire debent ad satisfaciendum propriis passionibus injustis; heu! in quantum probrum, & infamiam cedit hoc religioni nostræ, quam detestanda res in se ipsa! quam abominabilis in oculis Dei! quam scandalosa coram

homi-

hominibus! ô Domine! qua ratione id tolerare potes? ministri indigni! qui, cum cathedram veritatis conscendere deberetis, ad reaccendendam charitatem inter christianos fere extinctam, eam ideo conscenditis, ut magis impune contra inimicos vestros, declamare possitis, sive deinde eos expressè nominando, sive eos taliter designando, ut satis dignosci possint; an non meministis cathedram vestram fundatam esse in cruce Jesu Christi, & ab hac, omnem suam auctoritatem, trahere? nescitis, Christum Jesum crucem suam, quasi cathedram conscendisse, ut ex illa, tam exemplo, quam verbo, vos hortaretur ad ignoscendum inimicis vestris? & vos, qui abutimini auctoritate illa, quam character vester vobis dat in sacramenta, repellitis, vel accedere non permittitis eos, qui vobiscum litem & controversias habent? an ignoratis, quod per hæc sacramenta, tanquam per sacros canales, supra fideles decurrat sangvis ille, quem Deus pro inimicis suis profudit? quique adhuc, quasi recenter fumans in manibus vestris, vobis acclamat, ignoscite inimicis vestris, sicut ego ipse vobis ignovi? quomodo hanc vocem audientes, potestis adhuc somniare vindictam? cur aspectus hujus pretiosissimi sangvinis, à tam nefando abusu non absterret? bone Deus! aperi oculos cæcis hisce voluntariis; fac, ut proprium suum malum agnoscant, & da illis omnem illum horrorem, quem de tanta, ac tam detestabili

bili passione, eos habere oporteret. Sed quia non sufficit aversionem aliquam contra illam concipere, disce in 2do puncto, media, quomodo ei sit resistendum?

PUNCTUM II. Tria valde utilia nobis suppeditat S. Paulus, 1mum est, ut primos motus, & iracundiæ ardorem, aliquantulum remittere sinamus, *date locum iræ*; quousque ratio habenas arripere valeat; vel prout *S.* Chrysostomus explicat, *date locum iræ divinæ*, qui vindicare sufficienter te poterit. Sed cave, ne ab ipso punitionem inimici tui petas; quin potius in secreto, & apud temetipsum dole, quod incidat in manus Dei vindicativi, dicendo cum Apostolo: Hebr. 10. 31. *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* 2. Oportet, ut inimicum nostrum lucrari conemur, & per orationem, ac bona opera nostra, iram illius exarmemus: *si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput illius.* En potens remedium lucrandi inimicum tuum, eumque convertendi! sed bene adverte expressionem, qua utitur Apostolus; *carbones*: opus est carbonibus; oportet eos bene accensos esse igne S. Spiritus; debent insuper applicari in magno numero. Si contenti tantum essemus certo numero carbonum, nihil efficeremus, hoc est, omnes actiones nostræ inflammatæ esse debent charitate, & omnem viam, & modum tentare oportet, quo inimicum nostrum lucremur, sic enim fiet, ut durities cordis illius

emol-

emolliatur; propriam suam malitiam perhorrescat, & seipsum recolligat, siquidem, ut S. Augustinus de Cathechi. rud. c. 4. dicit. *nulla major ad amorem invitatio, quam prævenire amando.* 3. tam parum dispositi, & proni esse debemus ad vindictam, ut potius omnem conatum adhibeamus, ut sic malum bono convincamus: *noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Non sufficit tantum vincere odium, quod naturaliter in corde nostro nascitur, & exsurgit contra eos, qui injuria aliquà nos affecerunt, sed insuper in corde ipsius inimici nostri illud vincere debemus; ubi locus nativitatis illius est, ex quo nos aggreditur. Igitur haud contenti simus, ut illum præcisè non odiamus, sed ita eum amare debemus, ut eum etiam ad nos redamandum obligemus. *Vince in Christo.* O quam dignæ sunt tanto apostolo hæ regulæ, quas hic nobis suggessit! vide, dum legis hanc ipsius epistolam, quomodo eas secutus fueris? roga Deum, qui est charitas, quemque proxime sumpturus es de altari, ut eas cordi tuo imprimat. Pete ab eo gratiam hanc, qui pro suis inimicis in cruce oravit, & mortuus fuit; crucem tuam ad pedes ipsius crucis pone; recogita illum infinitum quasi numerum injuriarum, quas tibi remisit, & condonavit. Tunc plane pro nihilo reputabis illas, quibus tu afficeris. Exinde nascitur, quod tuæ tibi illatæ injuriæ, tibi insupportabiles videantur, quia oculos tuos ab opprobriis, quæ Christus sustinuit,

nuit, avertis. O Jesu! fac, ut nobis continuo, ante oculos nostros verseris; certus sum enim, tunc nec somnjaturos nos amplius vindictam ullam: *in te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, Ps. 43. 6.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA QUARTA.

Ecce leprosus veniens adorabat eum; dicens: Domine, si vis, potes me mundare, & extendens Jesus manum, tetegit eum, dicens: volo, mundare; & confestim mundata est lepra ejus. Matth. 8. 1.

METHODUS BENE ORANDI.

1. Debemus nos sistere coram Deo, tanquam ægrotus coram Medico. 2. Et accedere ad illum cum fiducia.

PUNCTUM I. INvenimus in Evangelio præsenti modum quemdam orandi, qui omnibus sane congruit; quia cujuscunque demum dignitatis, & conditionis simus, sumus nihilominus peccatores, & consequenter miseri ægroti; qui necesse habent, recurrere ad medicum, eique exponere mala nostra, quibus premimur. *Effundo in conspectu ejus orationem meam, ante ipsum pronuntio.* Ps. 141. Nonne scriptura sacra docet nos, peccatum nil aliud esse, quam lepram, per quam anima deformis, & insensibilis redditur? quid ergo aliud facere possumus ad talem statum redacti? quam

ut ad pedes Christi Jesu prostrati; ipsumque adorantes, dicamus cum hodierno leproso: ah Domine! vides utique, quisnam sim? si vis, potes me sanare; plagis & vulneribus plenus sum: *à planta pedis usque ad verticem non est sanitas*, If. 1. 6. Et tanto magis confundor, & ¡ mala mea erubesco, quod ipse sim causa illorum. *Heu mihi Domine, miserere mei; heu mihi, ecce vulnera mea non abscondo; medicus es, æger sum; misericors es, miser sum.* S. Aug. l. 10. conf. c. 39. Ostende mihi extremam necessitatem meam Domine, quod non nisi à te curari valeam, & da mihi sincerum desiderium id à te consequendi, quia; si hoc desiderium mihi desit, possetne inveniri super terram, miserabilior ægrotus? quàm ego! non mereor gratiam istam, qua indigeo; imo vix illam à te postulare audeo: totum, quod mihi superest, est; ut coram te prostratus permaneam, dicamque tibi: *Domine, si vis? potes me mundare.* Orastine hucusque sic, conatusne es te ita humiliare coram Deo, exponere illi miserias tuas? indigentiam tuam? interiores plagas, & vulnera animæ tuæ? ut eum ad præstandam tibi misericordiam flecteres, prout propheta regius faciebat? *inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego.* Psal. 85. Cum nihilum tuum, ac miserias tuas agnoscere & fateri debuisses, an non potius unus ex illis falsis devotis fuisti qui de se ipsis præsumunt, & divites se esse

in virtutibus credunt; neque advertunt, ut apocalypticus ille Episcopus, quod pauperes sint, & miserabiles? *nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Detestare hanc præteritam superbiam tuam, & postquam didicisti, te humiliare.

PUNCTUM II. Accede cum fiducia ad eum, qui solus te curare potest; consilium hoc tibi dat apostolus. Hebr. 4. 16. *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur,* Compareamus cum integra fiducia, coram throno gratiæ illius, qui ipsemet miserias nostras in se suscipere dignatus est; appropinquemus huic divino salvatori sine hæsitatione; ipse omnes languores nostros portavit, expertusque in se ipso est remedia illa, quibus nos indigemus, ut illa redderet utiliora, & efficaciora; exhibeamus illi humiliter totum id, quod sumus, dicamusque ei: *respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego.* Psal. 24. 16. Si hunc Pontificem Divinum pro mediatore habemus, qui ideo in cælum ascendit, & continuo se coram Deo pro nobis sistit, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Quid non speremus de precibus intercessoris & advocati adeo potentis, qui jam dudum, totum pretium exsolvit pro gratiis illis, quas unquam à Deo consequi possimus. Ecce! quam graves, & justas causas fiduciæ in amore illo, quem hic divinus salvator nobis exhibuit, & in illis effectibus, quos hucusque, sui in nos amoris, exper-

experti sumus, fundatas! si nunc in tempore; accedimus ad thronum illius, inveniemus thronum gratiæ & misericordiæ, & non rigoris, aut justitiæ, *nunc est sedes gratiæ; non sedes judicii*, ait S. Chrysostomus in Ep. ad Hebr. 4. si autem nimis diu expectemus, & tardemus, in vanum accedemus, quia veniet tempus, ubi in throno suo non sedebit, nisi ut judicium exerceat, & justitiam. Utamur ergo ad profectum nostrum hoc tempore misericordiæ suæ; an autem aliquod aliud in comparationem venire queat, cum tempore S. communionis, ubi nobis pro medicina dat carnem & sangvinem suum? accede igitur ad illum novo cum fervore; offer te Christo Jesu talem, qualis es, ut te reddat talem, qualem te esse vult. Dic cum omni simplicitate: ô Domine; en ægrotum! tu es medicus! *vide humilitatem meam, & laborem meum; & dimitte universa delicta mea.* Psal. 14. 18. Plura non addo, ô Jesu! amor in me tuus satis intelligit silentium cordis mei; quia miseria mea satis per se ipsam loquitur: *sufficit, ut noveris; non enim amas, & deseris.* S. Aug. Tract. 49. in Joan.

* * * * * * * * * * * * * * *

FERIA QUINTA.

Vade, ostende te sacerdoti. Matth. 8. 4.

DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ.

1. Commoda, atque utilitates illius. 2. Quænam ad illud requirantur dispositiones.

PUN-

PUNCTUM I. Dum Christus huic leproso, prout omnibus aliis, quos curavit, præcepit, ut se sacerdoti sisterent, satis clare indicat, & docet, quam necessarium sit, ut sacris ministris, seu sacerdotibus statum conscientiæ nostræ detegamus. Ipse solus magnus & supremus medicus est animarum nostrarum, prout eum appellant SS. PP. *Sanctus ægrotæ animæ incantator, & medicus.* S. Clem. Alex. pædag. l. 1. c. 2. Sed bonitas illius adeo se extendit, ut ministerio sacerdotum uti velit ad nobis medendum, instructo ad hunc finem ex proprio suo sangvine balneo salutari, in sacramento pœnitentiæ, per quod lavari, ac mundari possemus à peccatis nostris, & primam innocentiam recuperare. Gratias age amabilissimo huic salvatori, quod nobis de remedio tam efficaci prospexerit, adeo ut neque proprio sangvini & vitæ pepercerit: *de suo sangvine medicamentum fecit ægrotis* S. August. in Ps. 58. Et hanc resolutionem cape, toties ad illud recurrendi, quoties conscientiæ tuæ necessitas id postulaverit. Omnes Christiani sæpius ad id accedere debent, sed specialiter clerici, qui, cum continuo res sacras tractent, magis indigent, ut se continuo purificent. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Is. 54. 11. Porro non potes melius invenire medium conservandi te in statu gratiæ, quam frequentem usum sacramenti pœnitentiæ. Omnes boni de hoc persvasi sunt, ut Concilium Tridentinum Sess 14.

de pœnit. c. 5. advertit, quod, quidquid sanctitatis & pietatis in ecclesia inveniatur in particulari, huic sacræ confessioni attribuendum sit; per hanc tranquillitas conscientiæ nostræ semper restitui potest; per hanc disponitur pœnitens, ut pacatius admittat correctiones, quas ibi audit, ut patientius toleret labores pœnitentiæ; ut ardentius diligat Deum; ut vigilantior evadat supra seipsum; humilior in consideratione peccatorum suorum; gratias, quas recipit, gratanter agnoscat, & solicitior fiat ad eas conservandas. Ah! utinam hæretici ritè secum perpenderent omnia hæc! possentne tot bona præ oculis habere, quin summe dolorent, & damnum illud deplorarent, quod patiuntur? quin reformationem illam detestarentur, quæ illis praxim tam sanctam, tam salutarem, & ecclesiæ adeo necessariam, sustulit? deplora hic illorum cæcitatem; quia autem non sufficit tantum recurrere ad hoc sacramentum, vide in puncto 2do.


PUNCTUM II. Dispositiones illas, quas afferre debes ad digne recipiendum hoc sacramentum. Prima est, sufficiens, & requisitum *examen* conscientiæ nostræ; &, ut hoc fiat omnino exacte, prout negotium tanti momenti id requirit, roga Deum, ut tibi donare dignetur cognitionem peccatorum tuorum, quæ commisisti. *Quantas habeo iniquitates & peccata; scelera & delicta mea ostende mihi.* Job. 13. 23. Altera est *vera contritio*, quæ anima est

pœni-

pœnitentis; sine qua neque confessio, neque absolutio, neque indulgentiæ, neque jejunia, neque eleemosyna, vel quidquid aliud delere potest ullum peccatum. *Fuit quovis tempore, ad impetrandam peccatorum veniam, hic contritionis motus necessarius.* Conc. Trid. ibid. c. 4. Tertia est *integra & fidelis confessio* omnium peccatorum; quæ fieri debet sine excusatione, sine simulatione, sine ambagibus, sine occultatione: *sine ullo velamine occultationis, excusationis, palliationis,* ait S. Bonaventura, Memor, de conf. Quarta consistit in sincera voluntate & desiderio *satisfaciendi* justitiæ divinæ, pro peccatis, quæ confessi sumus, cum serio proposito adhibendi omnia media, nunquam in eadem recidendi. *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Job. 9. 28.

Accessistine, cum omnibus hisce dispositionibus ad sacramentum pœnitentiæ? an non deliquisti in non faciendo sufficienti examine, ex eo, quod tanto tempore distuleris accedere ad confessionem? qualis erat dolor tuus? tuum propositum? qualem curam & solicitudinem adhibuisti corrigendi superbiam, iracundiam, maledicentiam tuam, detractiones? &c. quomodo confessus es? an non hoc factum fuit superficialiter, & omnino festinanter? habuistine zelum quemdam, & fervorem satisfaciendi justitiæ divinæ? potesne dicere cum propheta regio: Ps. 37. 18. *ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper?* Si forte er-

pores commisisti, in materia tanti momenti, eos quantocyus reparare stude, & prior idipsum exequere, quod alios docere prætendis. Si difficile tibi accidat, ad hoc te resolvere, considera ignem infernalem, quem peccata tua promeruerunt: *si de exomologesi conquereris, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet, & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.* Tert. de pœnit, c. 11. Pro communione, vel Missa, pete à Christo Jesu spiritum pœnitentiæ: ô Jesu, qui bene nosti, quam sim culpabilis, concede mihi, ut te offeram Patri tuo divino, tanquam cautionem æternam, ut per te, ipsi satisfaciendo, per te ipsum, merear salvari; Domine! vim patior, responde pro me. Is. 38. 25.



FERIA SEXTA.

Domine, puer meus jacet in domo paraliticus, & male torquetur, & ait illi Jesus, ego veniam, & curabo eum. Matth. 8. 67.

DE VISITATIONE INFIRMORUM.

1. Obligatio, quam habemus, eos invisendi.
2. Modum, quem in tali visitatione tenere debeamus.

PUNCTUM I. Mirare hic charitatem D.N. J. C. qui se in viam dedit, ut pauperem & ægrotum servum inviseret: & quam hoc exemplo suo, valdè nos monet & docet,

docet nequaquam negligendi curam, & visitationem infirmorum! si vel simplices tantum Christiani essemus, fieri seu dari posset occasio, ut omissio hujus exercitii charitatis, nobis in grave peccatum imputari posset, siquidem evangelium expresse dicit, quod in extremo die judicii Dominus æterno suplicio puniet eos, qui neglexerint ipsum in persona infirmorum visitare; ubi è contrario ait, quod mercedem recepturi sint illi, qui huic suæ obligationi satisfecerint; *infirmus eram, & visitastis me, venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi &c. Infirmus eram, & non visitastis me, discedite à me maledicti in ignem æternum,* Matth. 25. 36. 43. Stante ista formali tam clara & terribili sententia, possitne pastor aliquis adeo cœcus esse, ut prætendere audeat, visitationem infirmorum, opus non nisi supererogatorium esse? si tamen respectu laicorum; vel etiam eorum, quibus non nisi cura propriæ salutis incumbit, tale esset; certe curatus, qui de omnibus animabus curæ suæ commissis, in extremo judicio Deo rationem reddet, dubitare minime potest, hanc ex principalioribus unam esse obligationem officii ac ministerii sui? *parochus*, ait Rituale Romanum, *imprimis meminisse debet, non postremas muneris sui partes esse, ægrotantium curam habere.* Omnia statuta synodalia, id ipsum habent, & si ulteriorem rationem, quæ te convincat, requiras,

quid dicturus esses de pastore, cui cura gregis incumberet, si morbidas oves relinqueret, aut lupo auferendas exponeret, vel nullam solicitudinem adhiberet eas salvandi, & eidem eripiendi? sine dubio condemnares illum; & tamen, *tu es ille vir*, si ægrotos & infirmos parochiæ tuæ negligis. Christus Jesus oves suas curæ tuæ commisit; idem tibi dixit, dum curam hanc in te suscepisti, *custodi virum istum, qui, si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* 3. Reg. 20. 39. Et tu parochiam tuam deseris, dum ægrotos in illa habes? discedis ab eis eo ipso tempore, quo maximè opera tua indigent? in illo ipso terribili instanti, quo de æternitate res agitur? ubi dæmon crudelis animarum hostis, quam maxime vigilat, ut eis noceat? putasne, te ita satisfacere obligationi pastoris? si autem hanc tibi Deus concessit gratiam, ut obligationem tuam ægrotos visitandi agnoscas, 2dum punctum docebit te modum, quem tenere debeas, ut huic tuæ obligationi satisfacias.

PUNCTUM II. 1. Debes invisere omnes absque distinctione; divites & pauperes, omnes inspicere debes, & toties quoties indiguerint; sic enim affectum & amorem illorum erga te, tibi conciliabis: *non te pigeat visitare infirmum; ex hoc enim in dilectione firmaberis.* Eccles. 7. 39. 2. Ut visitationem hanc utilem & fructuosam efficias; si pauperes sunt; vide quomodo eos etiam subsidio temporalium juvare valeas,

vel

vel procurando eis eleemosynas à piis & devotis fidelibus; vel, si male vixerint, hoc tempore utendo, ubi magis dispositi sunt ad admittendas correctiones, ut sic eos ad meliorem frugem, reducere possis. Si graves dolores patiantur, consolare eos verbis bonis, ad patientiam eos exhortando; *verba bona, verba consolatoria*. Zachar. 1. 13. Ora pro illis, commenda eos publicis precibus, si scias inimicitias cum aliis habere, vel aliena bona possidere, hortare illos, ut quamprimum in amicitiam redeant, restitutionem faciant, & suis rebus mature provideant. 3. Dispone illos ad bene suscipienda sacramenta; & si vis mali, seu infirmitatis incrementum sumat, solicitudinem & curam tuam pariter auge; visita eos majori assiduitate, eosque dispone ad sanctius moriendum. Quod si eos toties invisere non potes, ac ipse optares, trade, & commenda eos cuidam charitativæ personæ, quæ coram illis subinde renovet actus amoris Dei, contritionis, patientiæ, fiduciæ in Deum, submissionis, & resignationis in divinam voluntatem. Examina te ipsum nunc, an talem curam infirmorum habueris? an non contempsisti & neglexisti pauperes? an non de nocte recusasti venire? aut alium prætextum illos invisendi habuisti? nullusne mortuus est è tuis sine sacramentis ex tua culpa? ô si fecisti hoc! qualem consolationem habere poteris, si hanc Dei comminationem tecum perpendas? *ille quidem in iniquitate sua morietur, sangvinem*

autem

autem ejus de manu speculatoris requiram. Ezech. 33. 8. Pete à Deo veniam negligentiarum tuarum præteritarum; roga Jesum, ut eas abluere dignetur per virtutem infinitam sangvinis sui, quem brevi sumpturus es; & in futurum, accuratius huic tuæ obligationi satisfacere stude. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Jac. 1. 27.



DIE SABBATHI.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Matth. 8. 8.

DE SACRA COMMUNIONE

Ut Jesum in S. communione digne sumas, oportet cum centurione agnoscere, 1 dignitatem illius, 2. indignitatem nostram.

PUNCTUM I. QUam admirabile est hoc centurionis exemplum! haud miror, quod ecclesia illud assumat, pro norma & regula, quam in S. communione sequi debeamus. Verba ista in os nostrum ponit, antequam sanctissimum corpus Christi nobis sumendum præbeat, quæ centurio hic, salvatori nostro dixit, ad impetrandam ab eo servi sui sanitatem, ut nos eadem profundius in corde nostro expendamus. Considera ergo cum centurione, quinam sit ille, qui ad te venire velit?

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Pſ. 8. 8. filius eſt Patris æterni; victima novi teſtamenti; ſponſus eccleſiæ. Quid te facere oportet, ut te diſponas, ad illum bene recipiendum? *ecce ſponſus venit: aptate veſtras lampades, exite obviam ei.* Matth. 25. Si Beatiſſima Virgo præ horrore contremuit, dum angelum ita ad ſe loquentem audiit, quod filium altiſſimi in ſinu ſuo conceptura eſſet, an non tu præ nimio terrore totus perhorreſcas, qui eum quotidie in S. altari gignis? qui eum in manibus tenes? & tam frequenter intra te ſumis? ſi S. Joannes Baptiſta, præcurſor illius, eum attingere, & baptizare non audet; ſi S. Petrus, princeps Apoſtolorum, eum rogat, ut à ſe tanquam peccatore, recedat, dum miraculum aliquod, coram ſe, ab eo patrari videt, ſi mulier fluxu ſangvinis laborans, coram eo comparere non audet, eumque ſolum retro tangit in fimbria; ſi denique centurio non audet ipſi in perſona propria loqui, dicitque ſe indignum eſſe, quem intra domum ſuam recipiat; Luc. 7 6 quis es tu, ut ad eum accedere audeas, eumque quotidie in ſacrificium offeras? *magna eſt & ſuperminens cæleſtis dignitas ſacramenti, & quis poterit ad eam,* ait Petrus Bleſſenſis Epiſt. 123. ad London. epiſcop. & tamen quotidie cernimus clericos, ignorantes, rudes, carnales, in tanto numero, qui nullam ad hæc attentionem & reflexionem faciunt. *Video autem hodie, quod & flens dico, innumeros illiteratos, aut*

potiꝰ

potius idiotas, & nihilominus carnaliter conversantes, usurpare tanti officii gradum; ita, quod sacramenti dignitas, ex indigna numerositate, vilescit, & evenit, quod Osée propheta conquerendo deplorat, & dicit: multiplicavit populus altaria ad peccandum; factæ sunt ei aræ in delictum. Osée 8. 11. Et postea subjungit hic piissimus Archidiaconus ista verba, quæ bene notanda sunt. *Ex inordinata & indisciplinata multitudine sacerdotum, hodie datur ostentui, nostræ redemptionis venerabile sacramentum.* Ne & tu quoque tanti abusus reus inveniaris, sæpe & cum viva fide considera infinitam illius majestatem, quem ex altari sumpturus es; postea conjice oculos tuos supra propriam tuam indignitatem.

PUNCTUM II. Quæso te! posseтne illa esse major? daturne in toto mundo, habitatio magis indigna, pro sanctitate salvatoris tui, quam sit cor tuum, et si forte non sit corruptum peccaminoso amore creaturarum, quæ omnino sacrilega foret profanatio. Negligentia tua, cum qua vivis; & modica solicitudo, quam adhibes, præparandi te ad recipiendum hunc divinum hospitem, merito tibi timorem incutere, & facere deberent, ut, in consideratione indignitatis tuæ, exclames: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Ah Domine! non est, nisi solus æterni Patris tui sinus, & habitatio, quæ te digna sit; & dum dignatus es descendere in virginalem *Mariæ* uterum,

rum per mysterium incarnationis, obstupuêre desuper omnes cœlestes, ac angelicæ intelligentiæ; siquidem adeo profunde te humiliasti, & quasi annihilasti, quamvis sanctissimum corpus tuum, per virtutem Spiritus S. fuerit formatum. Non contentus hac tua submissione, vis insuper in medio nostrum habitare. Quid tu ô Domine! venis ad me? tu, qui es Deus vivus, & supremus cœli, terræque Dominus? ad me, qui maximus sum omnium peccatorum? ah! qua ratione ego dignus sim, comedere panem angelorum! ego, qui nequidem mereor, vel ipsum tantum panem communem, & usualem comedere, quem pro sustentatione, & nutrimento hominum, nobis donasti: *non enim est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*. Marc. 7. 27. Quia tamen Dominus (cujus misericordia infinities excedit merita nostra, de quo canit ecclesia: *qui merita supplicum excedis & vota*: Orat. eccles.) se tibi dare, & communicare ultro vult, quamcunque sis miser, & miserabilis, ideo accede ad eum cum aliquo, ac debito rubore, & erubescentia, quod mensæ angelorum assidere tibi liceat. Et quidem eo magis talis debet esse sensus tuus de te ipso, quo non solum propriis peccatis onustus accedis, sed insuper peccatis populi, ac gregis tui. Ut adeo causam habeas exclamandi cum Esdra: cap. 9. *Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te*. Pro præparatione ad *Missam*; roga Jesum, ut

suis

suis te divinis virtutibus vestire, & ornare dignetur; & pro gratiarum actione, admirare effectus infinitæ illius in te bonitatis: *confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus, filiis hominum; quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis.* Psal. 106. 8 9

* * * * * * * * * * * * * * *

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit. Rom. 13. 8.

DE PIETATE SEU DEVOTIONE

Vera devotio consistit in eo, ut quis satisfaciat 1. Obligationi justitiæ. 2. Et charitatis.

PUNCTUM II. VEram, substantialem, ac solidam devotionem reducit Apostolus, ad praxim & exercitium, harum duarum virtutum, & obligationum. Ut nemini quidquam debeamus; 2. ut nos invicem amemus: *nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Si quis satisfaciat his obligationibus, justitiæ & charitatis, ille vere, & solide pius seu devotus est; secus, non datur vera devotio; si ergo sincerum habes desiderium exercendi te in pietate & devotione, quemadmodum Apostolus hortatur: *exerce te ad pietatem.* 1. Tim. 4. 7. applica te ad cognoscendum, quæ tua sit obligatio, erga Deum; erga proximum; erga temetipsum *Quoad*

Deum;

Deum; debes illi hunc supremum cultum, & venerationem, ut non solum eum, *in spiritu & veritate* adores, sed ut insuper illum ames super omnia, juxta mentem & verba ista S. Augustini Epist. 119. *pietas, cultus, Dei est; nec colitur ille, nisi amando. Quoad proximum*; oportet dare cuilibet, quod suum est: *reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*; denique *quoad se ipsum*; obligaris adimplere ea omnia, quæ Deus in statu ac vocatione tua à te requirit; sacerdos sacerdotalia, curatus quæ curæ suæ commissa sunt, curare debet &c. Igitur pietas seu devotio, nequaquam consistit, prout plurimi sibi imaginantur, in certis actionibus exterioribus, quibus quis ex proprio gustu afficitur; sed in adimpletione obligationum suarum; mulier e. g. fallit se ipsam, si putet se valde devotam, quia totam diem in ecclesia transigit, ac interim domi ea negligit, quæ marito liberis, ac domesticis suis debet: pastor pariter seipsum decipit, qui se multum in virtute profecisse putat, si tempus studio transigat, vel meditationibus insumat, si interim administrationem sacramentorum, & instructionem parochianorum suorum negligat. Si, quod absit, hucusque talis opinionis, & erroris fuisti, corrige, & esto potius in contrarium persuasus, quod omnes inordinatæ, insolitæ, obstinatæ, & in proprio judicio fundatæ devotiones aliam originem non habeant, nisi, quia non satis præ-

ceptum illud apostoli: *nemini quidquam debeatis*, attendimus; quia autem vera devotio & pietas, insuper comprehendit obligationem charitatis; quousque hæc se extendat, disce ex 2do puncto.

PUNCTUM II. Distingvit Apostolus obligationem charitatis, ab obligationibus justitiæ, ex eo, quod quoad istas, si quis iisdem satisfecerit, nemini quidquam ultra debeat; sed quoad obligationem charitatis non potest quis, juxta ipsius mentem, huic suæ obligationi ita satisfacere, quasi totum hoc debitum ex integro sit solutum: *charitas semper debetur*, ait S. Augustinus, epist. 92. ad Cœlestin. *& nunquam exsolvitur*. Debemus illam omnibus hominibus, amicis, sive inimicis; debemus illam omni tempore; nunquam cessare debemus à diligendo proximum; & dum illum amamus, novam contrahimus obligationem, eum plus amandi, & quod singulare est, ipse Jesus Christus, cui infinite obligati sumus, reliquit nobis proximum pro depositario juris sui, quod in nos habet; quod illi damus, & facimus, tanquam sibi datum & factum reputat; quod illi rependimus, sibi refusum habet; itaque non nimium progredi possumus in amore proximi, neque id æquare, quod ipsi debemus; reliqua debita per solutionem extingvuntur; debitum autem charitatis semper manet: *semper debeo charitatem, quæ sola, etiam reddita, semper detinet debitorem*, ibid. Vide, ut bene comprehendas hanc

veri-

veritatem, quæ grande illud fundamentum pietatis, seu devotionis christianæ est; diligenter illam populo explicare stude, ita, ut tibi, & tuis pro regula serviat; docebit te, quod non sufficiat, aliquam eleemosynam erogasse; sed debes eam continuare; non satis esse, in certa aliqua occasione, patientiam te exercuisse; oportet eam habere in omnibus; non potes dicere; hoc, & hoc patiar, & non ultra, sed tunc me ulciscar; oportet charitatem tuam invincibilem esse quoad omnes injurias, cujuscunque demum generis sint & nominis; sic etiam, dum Petrus à Christo scire voluit, quoties fratri suo ignoscere, & dimittere debeat? utrum sufficiat, si septies? Christus ei respondit, non satis esse, si tantum septies dimittat, sed usque septuagies septies, id est, oportere tantam habere charitatem, quæ nullos limites sciat. En! quid sit veram habere pietatem, seu devotionem; heu! quam rara est hæc! pete illam instanter à Deo, per Jesum Christum filium ejus, quem eidem hodie in sacrificium oblaturus es; expone illi grandem necessitatem tuam, & quantum hac *devotione* indigeas; est enim tibi necessaria, ut ecclesiæ servire, proximum ædificare, & teipsum sanctificare, seu perfectum reddere possis: illa est, *quæ ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* 1. Tim. 48.

FE-

FERIA SECUNDA

Dilectio proximi malum non operatur. Rom. 13. 10.

DE AMORE PROXIMI.

1. Consistit primo in eo, ut nihil mali ei facias. 2. Ut omne bonum, quod in potestate tua sit, ei procures.

PUNCTUM I. CHaritas proximi, duas magnas obligationes imponit nobis, quæ in scriptura indicantur; prima, in illis verbis Tobiæ: *quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias*, Tob. 4. 10. altera per hanc sententiam Christi, in evangelio, contentam: *omnia ergo quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Matth. 7. 12. Ista duo præcepta, ait S. Gregorius Papa, in Job. l. 10. c. 4. nobis necessaria æqualiter erant: *per unum malitia compescitur, per aliud benignitas prorogatur*; igitur, ut proximus vere diligatur, debet dilectio ista in nobis omne illud reprimere, quod ei nocere posset; in intellectu nostro omnia judicia temeraria, & præjudiciosa; omnes cogitationes despicientiœ, quœ in nobis exsurgere possent; in voluntate nostra, omnes motus iracundiœ, invidiœ, odii, vindictœ; in memoria, recordationem injuriarum, contumeliarum &c. in ore nostro, omnia verba duriora, dicteria, detractiones &c. uno verbo, oportet dilectionem proximi adeo regnare, seu prœvalere in omnibus actionibus nostris, ut proximo nostro

ne

ne minimum quid mali inferamus: *dilectio proximi malum non operatur*. O quam multa in se includunt, & dicere volunt verba ista! intelligis? comprehendisne plenam illorum significationem? toties violatur charitas proximi, & quidem tam diverso modo, & viis, & quis est, qui ad hoc advertat? qui rem istam, ut deberet, intelligat? quod, qui in hoc delinquit, totius legis violatæ, se reum faciat, ut S. Augustinus, post Apostolum, notavit, epist. 29. *Qui contra charitatem facit, unde tota lex pendet, reus fit omnium, faciendo contra eam, de qua pendent omnia*. Vide, in quo hucusque peccaveris? &c

PUNCTUM II. Considera, non sufficere, evitare ea, quæ proximo nostro nocere possunt; oportet insuper ei exhibere omnem assistentiam & servitium, quantum à nobis dependet: *non diligamus verbo, nec lingva, sed opere & veritate*, 1. Joan. 3. 18. Oportet e g. ut pastor & ecclesiæ minister, omnibus tam spiritualibus, quam temporalibus miseriis & necessitatibus proximi, tangatur, ut iis, omni meliori, quo potest, modo succurrat, qui ab aliis opprimuntur, aut in aliqua miseria sunt; ut discordes ad concordiam, & pacem reducat; ut viam justitiæ eos doceat, qui ab ea aberrant; ut mitiget per verba consolatoria dolores eorum, qui in afflictione aliqua sunt; ut monitis salutaribus passiones eorum reprimere, & corrigere studeat, qui concupiscentia, & mundano

amore tenentur; ut se tanquam clypeum patientiæ, iis opponat, qui bono resistunt; ut patientiæ suæ, svavitatem disciplinæ, adjungat, contra eos, qui pleni sunt, occulta quadam superbia; paucis oportet errores eorum, qui curæ suæ commissi sunt, tali cum temperamento & discretione, corrigere, ut neque mansvetudo, quæ zelum illius moderetur, nimia severitate justitiæ tollatur; neque zelus quoad puniendos aliorum defectus animetur, limites misericordiæ aut moderationis transgrediatur, S. Greg. Hom. 17. in evang. Felix ille ecclesiasticus; felix pastor ille, qui hoc modo solicitus est, & laborat! talis vere amat proximum suum, & sic amando, legem Dei plenarie observat; *qui enim diligit proximum, legem implevit.* Pro præparatione ad Missam; roga Dominum, ut talem te efficiat; recordare, quod non sis simplex tantum sacerdos, quo præcise hanc consolationem habeas, ut sacrificium Missæ offerre possis, sed te ipsum sacrificare debes variis necessitatibus proximi tui; non possumus quieti nos dare, nisi quousque, nullus amplius ignorans, instruendus adsit, vel peccator convertendus, vel ægrotus, quem consolemur, & in hoc laborare debemus, juxta talenta nostra, & lumina à Deo accepta; non habemus ullum jus vivendi de oblationibus fidelium, & de pretio peccatorum, nisi inquantum laboramus ad expianda peccata populi, per preces, & pœnitentiam nostram, & ad ca-

venda, seu prævenienda, per crebras exhortationes, scandala gregis nostri: *pensemus fratres, cujus damnationis sit, sine labore, hic percipere mercedem laboris*, ait S Gregorius, Hom. 17. in evang. *ecce ex oblationibus fidelium vivimus, sed numquid pro animabus fidelium laboramus? illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis, fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem, vel orationis studio, vel prædicationis officio, ut dignum est, insudamus*; dicamus itaque cum eodem sanctissimo pontifice: *Oremus, Deus. qui nos pastores in populo vocare voluisti, præsta, quæsumus, ut quod humano ore dicimur, in tuis oculis esse valeamus, per Dominum nostrum &c.* ibid.

FERIA TERTIA.

Plenitudo ergo legis, est dilectio. Rom. 13. 10.

PLENITUDO SEU EXTENSIO CHARITATIS.

1. Omnia continentur in hac virtute. 2. Solicitudo & cura, quam adhibere debemus, ad hanc acquirendam, conservandam, & augendam.

PUNCTUM II. NOn aliter discipulus loquitur, quam magister; Christus Jesus dicebat, legem & prophetas contineri in dilectione Dei & proximi; *S.* Paulus id ipsum nobis hic dicit; ut nimirum bene hoc capiamus, totum in charitate includi, & ad hanc,

omnia reliqua mandata, reduci: *omne mandatum de sola dilectione est, & omnia, unum præceptum, sunt; quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur*, Hom. 27. in evang. Neque conqueri potes, ait alius quidam S. Pater, de multitudine mandatorum, *semel breve præceptum tibi præcipitur; dilige, & quod vis, fac; sive taceas, dilectione taceas; sive clames, dilectione clames; sive emendes, dilectione emendes; sive parcas, dilectione parcas; radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice, nisi bonum existere*, S. Aug. tract. 7. in 1. Joan. 4. num. 8. Qui plenum charitate cor habet, pergit S. Pater, sine errore totum comprehendit, quod tam abundanter scriptura de religione dicit, observat absque difficultate totum, & omne, quod præcipitur; plus dico: *ille itaque tenet, & quod patet, & quod latet, in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in manibus.* Idem serm. 39 de temp. Ministri Domini! estote, quam optime de hac veritate persvasi, quod nunquam scripturas sacras, ut oportet, intellecturi sitis, neque observaturi mandata divini magistri vestri, prout servari deberent, si hanc charitatem non habueritis, *quæ est plenitudo legis*, finis omnium mandatorum, & quæ nascitur de puro corde, *conscientia bona, & fide non ficta*, uti alibi dicit Apostolus, 1. Tim. 1. 5. Qui hanc possidet, dignus erit pastor, qui ecclesiæ serviat; siquidem sola est virtus, quam Dominus in & à S. Petro exigebat, dum illi otia

tam

ram ovium suarum commisit; si autem hæc virtus desit; si nequaquam Dominum ac Deum suum amat; ex tota fortitudine, ex toto corde, & ex tota anima quascunque demum alias qualitates & talenta possideat, indignus erit, ut non tantum sit pastor, & ecclesiæ minister, sed nequidem in numerum ovium seu fidelium venire mereatur: *adde charitatem, prosunt omnia, detrahe charitatem, nihil prosunt cætera; quale bonum est charitas? fratres, quid pretiosius, quid luminosius? quid securius?* Idem serm. 50. de V. D. Si res ita se habeat, ah! quo ardore non oportet te allaborare, ut virtutem hanc possideas?

PUNCTUM II. Quia charitas res est tam pretiosa, sequitur, quod omnem conatum adhibere debeamus, illam acquirendi, conservandi, & augendi. O utinam tam felices essemus ut tantum donum possideamus, nihil plane difficile nobis accideret amplius in exercitio, & functionibus, ministerii nostri, continuo in gaudio & deliciis versaremur; incessanter festum diem ageremus; siquidem, ut Augustinus ait tract. 10. in 1. Joan. *ubi est charitas, ibi non sunt angustiæ.* Apostolus, pergit ulterius hic S. Pater, agnovit latitudinem, quam cor, charitate plenum, sentit, dum ad fideles Corinthios, ita scripsit: *os nostrum patet ad vos, o Corinthii! cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis; angustiamini autem in visceribus vestris,* 2. Cor. 6. 11. si hæc ipsa

chari-

charitas, animas ecclesiasticorum occuparet, pariter cor illorum aperiret, & dilataret erga pauperes, qui ea præ aliis indigent, sint minus grati, imo ingratissimi, denique eos Deo lucrarentur. Ministri Domini! quærite igitur tota sollicitudine hanc divinam virtutem! *sectamini charitatem*, 1. Cor. 14. 1. Hoc omni cura, & sine intermissione fecerant sancti omnes, & quia hoc ab ipsis factum fuit, cum omni applicatione, & perseverantia, eam acquisierunt; neque ullum genus bonorum operum fuit, utut difficilia fuerint, quod non executi sint, lege vitas tot sanctorum Patrum & pastorum, & mirare mirabilia, quæ in eis charitas ista operata est; vide Paulos, & Barnabas, homines amore Dei prorsus inflammatos, quique se totos nomini Christi Jesu sacrificarunt: *tacuit autem omnis multitudo*, ait S. Lucas, Act. 15. 12. *& audiebant Barnabam & Paulum, narrantes, quanta Deus fecisset signa, & prodigia in gentibus, per illos.* O Domine! ah dona mihi cor S. Pauli, & talium virorum apostolicorum, qui toti ardebant præ amore tui, ut dignus efficiar pascere gregem tuum, & servire ecclesiæ tuæ tanta cum fidelitate, ac ipsi servierunt, quidquid demum occurrere possit grave, difficile, onerosum, quod me ab hac mea obligatione impedire posset. Accede hodie ad altare, ut hoc grande donum à Christo Jesu petas; dic illi cum sponsa in Canticis: *indica mihi, ubi pascas; ubi cubes in meridie*, Cant. 1. 6. O Jesu! satis

intelligo, quod in Euchariftia, tanquam in meridie amoris, recumbas; ah! ne patere, ut ad illam accedam, quin aliquid, de hoc igne divino, participem, quem venifti mittere de cœlo in terram, accende me hoc igne, quem propediem accenfurus fum fupra altare; tu folus, o Jefu! me docere potes, quomodo te amem poffum quidem habere alios etiam in hoc magiftros, fed cor meum nonnifi voci tuæ obedit, tu vis in corde meo requiefcere; patere igitur, ut me, in tuum cor, projiciam, fic enim fiet, ut ego in te, & tu in me maneas juxta verbum dilecti difcipuli tui: *Deus charitas eft, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Joan. 4. 16.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA QUARTA.

Ecce motus magnus factus eft in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth. 8. 24.

DE STATU ECCLESIÆ HIC SUPER TERRAM.

1. Expofita eft magnis tempeftatibus. 2. Quam graviter & dolenter id fentire debeant ecclefiaftici.

PUNCTUM I. NAvis ifta, quam Dominus una cum difcipulis fuis intrat; imago eft ftatus ecclefiæ fuper terram, qui eft ftatus periculorum, timoris, tentationum, turbinum, & tempeftatum. Tertul. lib. de bapt. c. 12. Aug. enarr. 2. in Pf. 23. Poftquam

quam sponsus ipsius cœlos ascendit, Judæi, gentiles, magnates hujus mundi convenerunt in unum, & simul conspirarunt, illam quasi adhuc in cunis vagientem suffocandi, destruendi, annihilandi; sed prima ista persecutio repulsa & repressa fuit per patientiam martyrum, quorum sangvis copiosissime effusus, fœcundum semen Christianorum fuit. Nunquam magis effloruit, quam primis hisce sæculis; hanc consolationem demum consecuta, ut vel ipsi persecutores & tyranni protectores illius evaserint; illi, qui prius dixerant: *exinanite, exinanite usque ad fundumentum in ea*, muros illius ædificarunt ex saphiro & aliis lapidibus pretiosis; filii eorum, qui eam humiliaverunt, inque ruinam illius jurarunt, honori ac gloriæ sibi duxerunt, quod nutritii illius esse potuerint; suscitavit dein diabolus hæreticos, qui omni subtilitate Philosophorum, gentilium, & ratiocinii humani, armati, diuturnum ei bellum intulerunt. Hic secundus assultus retundebatur per sapientiam sanctorum Patrum, ac Doctorum; & ecclesia, contra quam portæ inferi nunquam prævalebunt, victrix permansit, de mendacio, mediante lumine, & efficatia veritatis; post has omnes persecutiones, quas experta est, & sustinuit ecclesia, aliam modo patitur, ait S. Bernardus, serm. 33. in Cant. quæ tanto magis digna est lacrymis, & gemitu nostro, quod vel à propriis suis filiis, eam pati cogatur. *Olim prædictum est, & nunc tempus imple-*

pletionis advenit: ecce in pace amaritudo mea amarissima; amara prius in nece martyrum; amarior post in conflictu hæreticorum; amarissima nunc in moribus domesticorum. Hæc plaga ecclesiæ, pergit hic *S.* Pater, *intestina est, & insanabilis; & ideo in pace amaritudo ejus amarissima; sed in qua pace? & pax est, & non est pax: pax à paganis & ab hæreticis, sed non profecto à filiis, filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me; spreverunt & maculaverunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris.* Neque sperandum, hanc speciem persecutionis, unquam cessaturam, aut defuturam; quin, quo magis, ad finem sæculorum, propinquamus, magis augebitur, & accrescet; ista enim prœdixit salvator: *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum,* adeo ut in 2do adventu suo, vix reperturus sit fidem super terram. Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? Luc. 18. O! materiam seria meditatione plane dignissimam! quia autem clericos res ista magis concernit, & tangit.

PUNCTUM II. Si ecclesiam diligimus, ut eam diligere debent clerici, qui non solum filii illius sunt, sed insuper ministri, debemus sane intime commoveri, & valde dolenter, cum S. Bernardo, hoc malum sentire, & affligi ob ea, quæ ab infidelibus & hæreticis, & malis christianis, ei patienda occurrunt; hic erat S. Augustini

gustini in ecclesiam amor, nimirum erat, *dominicis lucris gaudens; & damnis mærens*, Possid. vit. S. Aug. c. 18. sit igitur etiam noster. Imitemur S. Theresiam, quæ cum à religioso quodam, qui ex India, & ab alio, qui ex Gallia, redîre, edocta fuisset, grandem illum numerum animarum, propter idololatriam, & hæresim, pereuntium nonnisi ingemuit; & sacrificium lacrymarum, pro salute & conversione peccatorum Deo obtulit, væ nobis! si nos mala ista ecclesiæ nequidquam tangant; causam certo habemus timendi, ne nobis etiam, sponsus illius amarè id ipsum exprobret, *nihil patiebantur, super contritione Joseph*, Amos. 6. 6. Parem igitur affectum, & sensum doloris; cum sancta ecclesia, matre nostra, in nobis excitemus; gratius nobis sit, esse cum illa in dolore & afflictione, quam sine illa in gâudio, si ergo videmus, quod peccent fratres nostri, si cernimus, quod ii ipsi etiam, penes quos auctoritas & potestas est, suæ obligationi desint, saltem nos non obliviscamur obligationis nostræ, ploremus cum illa, intime sentiamus lapsus similes, & dicamus cum Apostolo, 2. Cor. 11. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Pro præparatione ad Missam considera, quod pro universis ecclesiæ necessitatibus hoc grande sacrificium Deo offeras, ora Deum, ut tibi tales oculos concedat, quos vocat Apostolus, *illuminatos oculos cordis*, ut omnia illa videre possis, quæ

illa

illa patitur: *hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Juda & Jerusalem*, 1. Mach. 2. scriptum est de Matathia & de filiis ejus. An non æquum foret, ut id ipsum de nobis dici posset, nimirum pari nos, ac intima commiseratione eorum tangi, quæ ecclesia patitur, ac illi, ob ea, quæ in Jerusalem fiebant; certe melius quid facere haud possumus quam ut ecclesiam amemus; ut ecclesiæ serviamus; ut pro illa oremus, & omne id, quod eam affligit, etiam nos excruciet. Ah Domine! dona nobis cor Matathiæ, & sentire nos fac mala populi tui! tunc enim pariter cum illo dicere poterimus; *væ mihi! ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ*. Machab. 2. v. 7.

* * * * * * * * * * * * * * *

FERIA QUINTA.

Ipse vero dormiebat. Matth. 8. 24.

DE DORMITIONE, SEU SOMNO.

1. Dispositio exterior. 2. Et interior, ut christiane cubitum ire, & dormire quis possit.

PUNCTUM I. NOn tam leviter transiliamus verba ista evangelii: *ipse vero dormiebat*; omnis actio Salvatoris nostri Jesu Christi, nostra instructio est, sic enim nobis & obligationes nostras, & suam voluntatem declarat: *quia ipse Christus verbum Dei est*, ait S. Augustinus tract. 24. in Joan. *etiam factum verbi, nobis verbum est*. Adora, mirare

divi-

divinum hunc Salvatorem, & gratias illi age, quod licet verus Deus fuerit, nihilominus somno se subjicere voluerit, ut eum, in sua persona, sanctificaret, gratiamque nobis mereretur, ut & nos sancte dormire possemus: *somnum capit*, ait S. Gregorius Nazianzenus, *ut somnum benedicat, fatigatur, ut fatigationem sanctificet*, Orat. 31. ut igitur sancte somnum capias, prout decet ecclesiasticos, primo cura, ut dormitum semper eas, & iterum surgas illa ipsâ hora, quam in privata tua distributione temporis assignasti, aut quæ in communitate tua præscripta est; si hoc exacte observes, obedientiam exercebis, & simul voluntatem Dei perficies, qui, dum tibi necessariam aliquam quietem indulsit, simul tamen vult, ut excessum in somno evites tanquam rem nocivam animæ tuæ: *nos à quiete noxia, mersos sopore libera*, Hymn. Eccles. 2do nunquam cubitum concedas, nisi peracta prius oratione, & aliqua lectione S. scripturæ, vel alterius cujusdam libri spiritualis: *tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat*, Hieron. epist. 22. instructio est S. Hieronymi ad virginem Eustochiam. 3tio exuere te stude tali cum modestia, ut vel minimam etiam nuditatem evites; utque nunquam videaris sine tunica clericali, quæ ultimo deponatur, memor interim esto obligationis tuæ exuendi veterem hominem, & induendi novum: *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & in-*

induentes novum. Coloss. 3. 9. 4to. non debes in & per somnum aliud quærere, quam necessitatem corporis, non autem sensualitatem vel molitiem; hinc volunt sancti, ut simplici lecto utamur, & ibi cum modestia cubemus: *simplici cubili, & frugali utendum est, quod habeat id, quod nos juvet, moderatum & conveniens; si æstus sit quod protegat; si sit frigus, quod foveat,* Clem. Alex. pedag. l. 2. c. 9. Observastine has regulas? id ipsum est, supra quod te modo reflectere debes, & quantum ad dispositionem interiorem, quam dormitioni adjunges.

PUNCTUM II. Debes somnum tuum tam sancte capere, ut sit quædam oratio ad Deum: *sanctis etiam ipse somnus est oratio,* Hieron. epist. 22. ad Eustoch. Debes quamprimum à te repellere tentationes, & laqueos diaboli, qui incessanter nos perdere cupit, quique assultus suos de nocte geminare solet, ad hunc effectum asperge te aqua benedicta, arma te quadam cogitatione sancta, offer Deo somnum tuum in unionem illius, quem ipse etiam Christus admisit: *& reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi,* Psal. 75. Lectum tuum tanquam sepulchrum considera; linteamina tua mortalia esse cogita, somnum pro imagine mortis habe; & ora Deum, ut te ab omni peccato præservare dignetur: *ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.* Psal. 12. S. quidam Abbas, cujus opera

inter

inter opera S. Bernardi leguntur, ita te hortatur: *Iturus ergo ad somnum, semper aliquid defer tecum, in memoria vel cogitatione, in quo placide obdormias, quod nonnunquam somniare juvat, quod etiam evigilantem te excipiens, in statum hesternæ intentionis restituat.* Gvil. Abb. ep. ad FF. de monte Dei c 11. Denique quia non tota & integra nox somno destinata est, hinc consulunt SS PP. ut quandoque etiam de nocte surgamus: *sæpe etiam è lecto surgendum est, Deusque laudandus*, ibid. Bone Deus! quam sæpe hucusque deliqui contra tam sanctam praxim! fiat per gratiam tuam, ut deinceps fidelior in observantia illius sim; ut ejusdem cum sanctis sim opinionis, idque faciam, quod ipsi, quoad ultimam hanc diei actionem fecerunt, quo temporalis ista quies mihi deserviat, ut ad illam magnam requiem perveniam, qua electi tui per totam æternitatem in te consummati gaudebunt: *exultabunt sancti, lætabuntur in cubilibus suis.* Psal. 149. Pro Missa, adora Christum Jesum in cruce pendentem, pete ab eo veniam defectuum commissorum, in capiendo somno, & ut eosdem emendes, & repares, vide, & cura, ut hac occasione utaris ad præstandum aliquod homagium, mysteriis mortis, & sepulturæ dominicæ: *in pace in idipsum dormiam, & requiescam*, Psal. 4.

FERIA SEXTA.

Domine, salva nos, perimus. Matth. 8. 25.

DE

DE CURA ANIMARUM.

1. Quam terribile onus sit. 2. Quid facere oporteat, antequam quis huic curæ se ingerat.

PUNCTUM I. SI navis ista, in qua Christus cum discipulis suis erat, figura est ecclesiæ, prout ex S. Augustino, serm. 63. de verb. evang. constat, possumus etiam hoc addere periculum, in quo se apostoli constitutos videbant, repræsentare nobis difficultatem illam, quæ in cura animarum reperitur; onerare seipsum præter peccata propria, etiam peccatis aliorum, bone Deus! quantum periculum! *res difficilis & ardua est*, exclamat Petrus Blessensis, epist. 123. ad Episc. Londin. *ministrare in sacerdotio, animas regere, & juxta verbum Salomonis mittere se in turbam populi, & alligare sibi peccata duplicia*; qui tamen pauci ex clericis ista apprehendunt, ut hoc ipsum melius tibi persuadeam, probe considera, gravitatem oneris istius: *imposuisti homines super capita nostra*, Psal. 65. 11. Homines sunt valde diversi in moribus, & conditione differentes, quos Deus non solum brachiis, vel humeris nostris imposuit; sed insuper capiti nostro, quod demonstrat, pondus istud exigere, à nobis laborem capitis, & totalem spiritus, ac intellectus nostri applicationem, animæ sunt, sangvine Jesu Christi redemptæ, id est, pretio infinito, quarum ratio reddenda tibi est sub comminatione jacturæ propriæ animæ: *erit anima tua pro anima ejus*, 3. Reg. 20.

Tam

Tam arduum nobis bellum indicitur in hoc ministerio, ut Salomon dicat, idem quasi esse, hic congredi, & vinci: *illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus*, Prov. 6. 2. Ita scimus, excellentissimos pastores contremuisse sub hoc infinito quasi pondere officii sui; S. Gregorius Nazianzenus ait, curam hanc æque periculosam esse, ac inambulare supra funem in altum elevatum, & extensum; esseque onus hoc adeo grave homini, qui, ratione uti velit, *ut sit tinea ossium viro prudenti*. Orat. 1. Alter Gregorius, nempe Magnus, & pontifex maximus, illud pro loco tempestatum & naufragii habet: *veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*; ait scribens ad Anastasium Episcopum Antiochenum, l. 1. epistol. 7. hinc concludit. *periclitanti igitur mihi, orationis vestræ manum tendite*. Nolo hic adducere omnes, magnasque illas conditiones, quas S. Paulus à tali pastore requirit, quamque enucleate referat omnis generis virtutes, quas habere debeat, siquidem alibi locus opportunus occurret, de his tractandi; satis sit hic advertere, apostolum, in genere omnes pastores animarum, & superiores alloquentem extraordinariam ab iis solicitudinem, & curam exigere: *ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, Hebr. 13. 17. Bene nota vim hujus verbi: *pervigilant*; non sufficit sollicitudo communis; neque lapsus aliquis puerilis est; prout sibi multi ex clero imaginantur;

qui se temerarie cœco quasi modo in regimen animarum ingerunt, quin de periculo, cui se exponunt, cogitent. De hoc ergo tu cogita, & time, & si defacto jam huic negotio implicitus es, adhuc magis time, sciens, quanta tibi reddenda sit ratio de animabus, quæ curæ tuæ commissæ sunt: *commissa tibi est villicatio gravis, villicationis hujus rationem exactissime requiret terribilis in judiciis suis Deus*, Petrus Bless. epist. 132. quia autem cessare non debes à labore & servitio ecclesiæ debito, si Deus te ad hoc vocat.

PUNCTUM II. Principale, quod observare debes, hoc est, ut te huic negotio non implices, nec curam animarum in te suscipias, nisi spiritu prius replearis in & per aliquem secessum spiritualem, seu exercitia: *nemo enim aptus est ministeriis spiritualibus, donec sancti spiritus ardore purgetur*, ibid. Pergit ulterius Petrus Blessensis; erat hæc regula continuo in ecclesia observata, ut nemo ad sacerdotium vel officia clericalia promoveretur, nisi quis per longum & diuturnum exercitium virtutum, & servitia prius fuisset probatus; hinc originem traxerunt interstitia præscripta; interim ad confusionem sæculi hujus; ac temporum nostrorum dicere debemus, ingerere se magno numero neophytos in sacerdotium, & munia pastoralia. Ah! quot dantur, qui adhuc infantes in pietate, invitum quasi episcopum cogunt, ut eos in numerum Patrum admittat? qui vix disci-

puli esse cœperunt, velint esse doctores? prout S. Hieronymus epist. ad Rustic. loquitur: *miles, antequam tyro, prius magister, quam discipulus*; si hoc fiat ex avaritia, aut ambitione, quod in talia se officia intrudant? sunt latrones & lupi, qui non intrant in ovile, *nisi ut furentur, & mactent*, Joan. 10. 10. si ex præsumptione? superbia est, quæ eos exaltat; ipsi vero cadent in damnationem illam, de qua apostolus, 1. Tim. 3. 6. *non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Si vero ex zelo quodam indiscreto charitatis fiat, qui eos ad laborandum in cura animarum alliciat, tunc discant prius à SS. PP. zelum suum moderare secundum scientiam; *si sapis*, ait *S*. Bernardus serm. 18. in Cant. *concham te exhibebis, non canalem; implere prius, & sic curato, effundere &c de cumulo, si vales, adjuva me; sin autem pax cito tibi.* En regulam, quam sequi debeas. Pro præparatione ad Missam, roga supremum animarum pastorem, qui se quotidie per manus tuas immolat, ut hanc tibi gratiam exhibeat, qua bene penetrare, & capere valeas has rationes, ut eas aliis quoque communicare possis; interim deplora cœcitatem tot juniorum ecclesiasticorum, qui se violenter ingerunt in curam animarum, quin se prius ad eandem præparaverint per exercitia, studia, & frequentem orationem. Quid? miratur hic S. Gregorius: *nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur; ab imperitis ergo pasto-*

vibus officium pastorale suscipitur quadam temeritate, quoniam ars est artium, regimen animarum. Pastoral. l. 1. c. 1.

DIE SABBATHI

Dixit eis Jesus, quid timidi estis modicæ fidei? tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Matth. 8. 26.

DE FIDUCIA IN DEUM.

1. Omnem fiduciam in Deo collocare debemus. 2. Et ab ipso exspectare consolationem, & tranquilitatem nostram.

PUNCTUM I. Adora redemptorem tuum Jesum Christum, qui, dum discipulos ob modicam fidem illorum, reprehendit, invitat nos, teneritudine sane paterna, ut omnem nostram fiduciam in eo collocemus; scit nos habere graves necessitates, & inimicos seu adversarios potentes, ut ab illis nos liberet, ab istis vero securos reddat, ipse vult esse fortitudo nostra, securitas nostra, spes nostra: *factus es spes mea, turris fortitudinis, à facie inimici.* Psal. 60. 4. Gratias agamus divino huic redemptori; ad eum confugiamus, inque brachia ipsius nos conjiciamus, prout S. Augustinus loquitur, *fuge ad ipsum;* non est præter ipsum, qui possit esse refugium nostrum, & qui nos à corruptione, quæ est in nobis; & ab ea, quæ in mundo est, quam fugere debemus, liberare queat; scimus, quod nil boni in nobis sit: *scio, quia non habitat in me bonum,* Rom. 7.

Facile etiam nobis est, id cognoscere in tempore gravis tentationis, quia id experimur; sed hoc non sufficit, oportet, ut abyssus miseriarum nostrarum, quas patimur, faciat nos recurrere ad Deum, in quo inveniemus abyssum misericordiæ; secundum quod scriptum est; *abyssus abyssum invocat*; an hoc ipsum faciamus nos? Examina te nunc coram Deo, an omnem tuam, ut oportebat, in eo fiduciam posueris; qui in virtute hac bene fundatus est, unice tam pro præsenti, quam quoad futurum, bonitati divinæ innititur; ne timeas defecturam forte sanitatem, vires, vel fundum, unde subsistere, vel te alere possis; siquidem perbene scit, nunquam defuturum, quod necessarium est illi, qui Deum timet, & ei fideliter servit: *quoniam non est inopia timentibus eum*, Ps. 33. Qui totam fiduciam suam in Deo ponit, non turbatur in ulla adversitate, si vel totus mundus contra eum insurgeret; immobilis permanebit, dicetque cum propheta: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo*? Psal. 26. pro nihilo reputat gratiam principum, favores magnatum, & similia aliorum sublevamina, & si quandoque necesse habeat ad talia recurrere, nonnisi, ut instrumenta providentiæ divinæ respicit, quibus quandoque uti licet, sed non in iis se fundare, seu confidere, juxta verba prophetæ; *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*. Jerem. 17. 5. Esne ita comparatus? quot timores, diffidentias non ce-

ſtendiſti tempore afflictionis tuæ? excita fidem tuam, renova fiduciam, *quid timidi eſtis? modicæ fidei?* en! quomodo Salvator, *imperavit ventis, & mari & facta eſt tanquillitas magna!* Diſce ex hoc, quod ab eo tranquillitatem & conſolationem tuam expectare debeas, & poſſis juxta hæc verba Salomonis: *qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia.* Eccleſ. 2. 9. & ſane.

PUNCTUM II. Poſt incarnationem filii Dei, in quo Pater æternus nos amat, eumque propter nos afflixit, non eſt amplius reſpectu, & erga fideles, quando eos etiam graviter affligit, ſeverus, aut rigoroſus judex, ſed Pater miſericordiæ, & Deus totius conſolationis. Adeo igitur non murmurare vel conqueri debes; ſi quid mali pateris, ut potius cum *S.* Paulo, illum benedicas, & omnem ab eo conſolationem exſpectes, quam impertiri ſolet iis, qui pro gloria ſua quidquam patiuntur: *benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra,* 2. Cor. 1. 3. O quam bene notanda, & ponderanda ſunt verba iſta, quæ ecclesia martyribus pontificibus attribuit! dum apoſtolus ait, quod Deus nos conſoletur in omni tribulatione, indicat, & docet nos juxta S. Chryſoſtomum in hunc locum, quod Deus nos non ab una vel altera tantum afflictione, ſed generatim ab omnibus liberet: *in omni tribulatione noſtra;* non ſalvat nos tantum in uno præ-

lio, ita ut nos derelinquat in alio; sed semper, & per omnia. Nil magis confortare debet christianum, super omnia autem clericum, quam promissio ista, & spes, quam habemus; nimirum Deum secundum proportionem fidelitatis nostræ erga se in tribulationibus nostris, etiam daturum consolationem; sed satis non est, quod ipsi tantum de hac veritate simus persvasi; oportet, ut eandem populo etiam annuntiemus ac prædicemus; siquidem juxta mentem ejusdem apostoli æque sumus canales, per quos de via ordinaria Deus consolationes suas, ac alias gratias in eos derivari vult: *ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ex ipsi à Deo,* ibid. quod S. Hieronymo causa fuit dicendi in Isai c. 40. Deum quoad hoc expressum nobis mandatum dedisse, quando per prophetam suum dicit: *consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus, sacerdotes loquimini ad cor Jerusalem; consolamini eam, quia repleta est humilitas ejus.* Felix ille pastor! felix sacerdos! si huic suæ obligationi satisfaciat; meretur per hoc, ut & ipsum in tribulationibus suis consoletur Deus, & ut id ipsum tunc experiatur, quod David in medio afflictionis suæ ad Deum dixit: *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Psal. 93. 19. Pro Missa; scias te accedere ad divinum consolatorem tuum, qui in sanctissima Eucharistia requies est, & tranquil-

litas

litas animarum sanctarum. Pete ab eo veniam modicæ fiduciæ tuæ, quam in ejus bonitate hucusque collocasti. Protestare te deinceps firmius & fiducialius eidem inhæsurum: *misere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.* Psal. 56. 1.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

Induite vos, sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Coloss. 3. 12.

DE MANSVETUDINE.

1. Æstimatio, quam de hac virtute habere debemus. 2. Fructus, atque commoda illius.

PUNCTUM I. O Quem non moveant prima ista verba hujus epistolæ! quam sublimia! quam efficacia! quam divina! quam digna tali apostolo, qui speciali titulo vocari meretur, Doctor charitatis! qui nequaquam amplius vivebat vita humana & mortali, sed vita Christi Jesu, ut ipsemet dicit: *vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus.* Galat. 2. 20. Præbe te docilem verbis adeo ædificatoriis; roga Deum, ut per suam benedictionem hæc doctrina illius in te solvat glaciem cordis tui, & hodie adhuc incipe virtutes has amplecti, quas hic adeo commendat apostolus: *induite vos, sicut electi &c.* Si autem non vales omnes simul & semel aggredi,

roga Deum in hac meditatione, ut tibi mânsvetudinem donâre dignetur, adeo nobis in S. Scriptura commendatam, ut, si gravissimis, & summis viris, præsertim, quibus cura alios dirigendi, & regendi incumbebat, elogium aliquod dare velit, nonnisi de mansvetudine eorum loquatur, omnium quasi aliarum, qualitatum, & virtutum tantorum virorum, oblita. Vide, quid de Moyse populi Israelitici duce dicat; *erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*. Num. 12. 3. Tacet de mirabilibus, quæ ille operatus est, ut nobis eum omnium hominum mansvetissimum fuisse, indicet. Idipsum fecit Davidi, Psal. 131. homini plane secundum cor Dei; memento, Domine David, & omnis mansvetudinis ejus. Conclude ergo ex hoc, quomodo placeat Deo virtus ista; & quam divinam æstimationem habere debeas. Quæ interim tua est de illa idea? agnoscisne meritum, & necessitatem illius? quam curâm & sollicitudinem affers virtutem talem acquirendi, quam SS. PP. & Doctores adeo commendant ecclesiasticis, maxime iis, quibus cura & spiritualis directio aliorum incumbit? *erudimini, qui judicatis terram*, ait S. Bernardus serm. 23. in cant: ad illos, *discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari, quam metui; & si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica, Matres fovendo, patres eos corrigendo exhibeatis; mansvescite; ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte*

lacte turgescant, non cypho turgeant. Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debeatis? verum si particularia motiva desideres, ut virtutis hujus amore capiaris.

PUNCTUM II. Considera commoda, & emolumenta, quæ ex praxi seu exercitio hujus virtutis nascuntur. imo per hanc amabilem virtutem, gratum & charum te reddis Deo & hominibus; illis luminibus, & gratiis divinis, iis, qui ad ministerium ecclesiæ à Deo vocati sunt, tam necessariis, idoneum te præbes, quæque ordinarie talibus, qui spiritus cujusdam turbulenti sunt, non conceduntur; quià, ut ait scriptura, non complacet sibi Dominus in turbinibus, seu homine passionibus iracundiæ, agitato: *non in commotione Dominus*, 3. Reg. 19. 11. sed in serenitate animæ tranquillæ & pacificæ: *factus est in pace locus ejus.* Ps. 77. 2. 2do per hanc mansvetudinem possidebimus pacifice animas nostras, longe à corde nostro, proscribendo omnem angorem, mæstitiam, inquietudines, impatientias. Gaudio illo solido fruemur, quod in servitio divino invenitur, & quod Spiritus sanctus effundit in animas secum unitas: *mansveti hæreditabunt terram; & delectabuntur in multitudine pacis.* Psal. 36. 11. 3tio hoc spiritu, qui est proprius Christi Jesu spiritus, & character novæ legis, nos regendo utiliter & fructuose, pro salute animarum laborabimus, & digni ministri evangelii evadimus:

dimus: *ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum* Matt. 10. 16. en! quid ſalvator nobis dicat, in perſona apoſtolorum? mittit nos in mundum tanquam oves, & agnos inter lupos, nec alia nobis arma aſſignat, niſi manſvetudinem & patientiam. Propone igitur, quod manſvetior & benignior deinceps eſſe velis, quam usque in præſens fueris; & quia virtutem hanc propriis viribus aquirere nequis, ut te ad Miſſam præpares, pete illam à Chriſto JESU, quia ipſemet te ad hoc invitat, qui in ſe ipſo tibi illius exhibuit exemplum: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Matth. 11: 29. Agnoſco o Jeſu! quod homines nimis feri, truculenti & ſuperbi ſint, quam ut me docere poſſint veram manſvetudinem & humilitatem cordis, tu ſolus mihi talem lectionem dare vales, mihi adeo neceſſariam, & utilem; ad te igitur, dulciſſime ſalvator confugio; tú ſolus magiſter ille es, quem audire debeo; loquere, ô Jeſu! loquere ad cor meum, & converte illud; ero deinceps unus ex veris diſcipulis tuis ſi harum divinarum virtutum tuarum fuero imitator. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui convertuntur ad cor.* Pſal. 84. 9.

FERIA SECUNDA.

Supportantes invicem, & donantes vobis metipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Coloss. 3. 13.

DE MANSVETUDINE.

1. In quo consistat mansvetudo ecclesiasticis necessaria. 2. Media, illam acquirendi.

PUNCTUM I. NOn contentus nos ad mansvetudinem invitasse, vult insuper S. Paulus nos scire, in quo illa consistat, nihilque tam necessarium est ecclesiasticis, quam ut hoc addiscant. Mansvetudo ista non consistit in quadam abjectione animi; neque est, quædam vecors condescendentia, & compassio, quæ (ut quis sibi gratiam populi conciliet, comis, commodusque æstimetur) toleret, ut leges ecclesiæ violentur, & sanctissimæ illius regulæ, susdeque vertantur, hæc adeo non est mansvetudo, & patientia laudabilis, ut potius sit detestanda crudelitas juxta S. Bernardum, qui de indulgentia Heli, erga filios suos, ita ait: *patientia omni digna impatientia; non possum, fateor, non irasci huic patientiæ.* Igitur non consistit in simili effeminata complacentia, mansvetudo, ecclesiastico conveniens, sed in tali pace & tranquillitate animi, qua quis reformet ea, quæ reformanda coram Deo, judicet; stabilitoque, in quantum fieri potest, bono ordine contra neminem amaro sit animo; nemini irascatur, nullam perso-

nam offendat, quamquam ex omni parte reperiat obstacula, quæ bono, quod inducere cupit, opponantur; quamvis gravissimas etiam sustinere cogatur injurias. Consistit in eo, quod quis magna compassione, erga peccatores, teneatur; quantumvis gravissima commiserint crimina, ut eos obviis & expansis brachiis, recipiat ad portandum, & deferendum eos, in viscera D. N. J. C. qui pro salute peccatorum mortuus est. Consistit in eo, ut quis utatur omni condescendentia christiana, ad reducendum eos in viam bonam, qui ab ea se elongaverunt, non parcendo, neque verbis, neque precibus, ut errorem suum agnoscant; eosque demum progrediendo, si necesse foret, ut quis se ad pedes eorum, abjiciat, dicatque cum lacrymis: *obsecramus pro Christo; reconciliamini Deo.* 2. Cor. 5. 20. Denique mansvetudo ista consistit in eo, ut se affabilem præbeat, omnibusque facilem ad se accessum concedat: *stude amari & amare*, ait S. Bern. Serm. 1. de SS. Petro & Paulo. *Blandum & affabilem exhibere; supportare non solum patienter sed & libenter, infirmitates fratrum, tam morum, quam corporum.* Vide nunc an veram mansvetudinem habeas? & in puncto 2do disce media, eam acquirendi.

PUNCTUM II. En aliqua! primum est, ut nunquam irascaris ex quacunque demum causa; ut abstineas ab omni amariori verbo, & sensim assuescas omnia tua peragere, in & cum spiritu

pacis & charitatis, juxtâ consilium sapientis; Eccles. 3. 19. *fili, in mansvetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam dilegeris.* 2dum ut svavis sit & comis conversatio tua; neminem cotemnendo; neminem repellendo, sed cum omnibus officiose loquendo: *nec adversus plebeium quemquam, & infirmi ordinis hominem, supercilium attollimus*, ajebat S. Gregorius Nazianzenus, orat. 20. statue tibi hunc modum agendi pro regula. 3tium si pastores, considera, quod grex Christi non regatur per rigorem, & coacte, aut violenter, sed svavi quodam modo, qui eos leniter ad se trahat; id, quod ulterius nos docet idem Gregorius; *ut grex non coactè*, ibid. sed sponte & libenti animo pascatur. Medicus es in populo, quantum ad infirmitates spirituales illorum; consolator in eorundem afflictionibus, refugium in miseriis; pacificator in eorum litibus, & controversiis; depositarius secretorum ipsorum; quomodo ergo tecum loqui audebunt, si sis genii nimium iracundi, aut mirabilis? an non amittunt omnem confidentiam, quam in te ponere debuissent? si ergo ministerium tuum feliciter exequi cupis; amplectere mansvetudinem, & omnia illa media, quæ te ad acquisitionem hujus virtutis juvare possunt. Pro Missa; roga divinum agnum, quem propediem oblaturus es ad altare, ut te participem faciat mansvetudinis suæ; ut à tuo modo agendi longè repellat omnem asperitatem, dominationem &

duri-

duritiam, ut ita eidem conformis fias. Considera, quomodo in hunc mundum adveniens deposuerit omnia nomina potentiæ, vel majestatis cujusdam, quæ eum hominibus formidabilem reddere poterant; assumendo potius nomen Patris & Pastoris animarum, ut ita per mansvetudinem suam eos lucraretur, quos splendor majestatis, & terror potestatis suæ ab eo elongasset. O qualis hoc est lectio pro te! vide, ut exinde proficias, ita nimirum protectionem illius tibi conciliabis: *suscipiens mansvetos Dominus*. Psal. 146. 6. sicque dignus evades, ut in viis ejus ambules, in iisque etiam alios dirigere valeas: *diriget mansvetos in judicio, docebit mites vias suas*. Psal. 24. 9.

* * * * * * * * * * * * * * *

FERIA TERTIA.

Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Coloss. 3. 14.

DE CHARITATE FRATERNA.

1. Est vinculum perfectionis. 2. Quid nos facere oporteat, ut ad eam pertingamus.

PUNCTUM I. COmmendavit nobis S. Paulus mansvetudinem & alias virtutes, quæ eandem comitantur; sed quia facile in exercitio harum virtutum nos ipsos fallere possumus, dicit nobis hic, quod ante omnia charitati studere debeamus, quæ est vinculum perfectionis. Quamcunque demum mansvetudinem proximo nostro foris exhibeamus, sine

fructu

fructû erit, nullamque nobis utilitatem afferet fine charitate. Charitas enim anima & vita hominis novi est, & totum in religione christiana; S. August. in Joan. tr. 2. omnia alia, quæ alias bene facta essent, pereunt, & nihil valent; si charitas illis desit; sed, ut te magis adhuc convincam, considera, quod dum apostolus charitatem, vinculum perfectionis, appellat, nil aliud dicat, nisi, quod à suo divino magistro didicit, qui hanc ipsam fraternam charitatem pro charactere stabilivit, ex quo discipuli sui, essent agnoscendi. Sic enim ait: *in hoc agnoscent omnes, quia discipuli mei estis; si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. 13. 35. Et dum proximus morti erat, hæc erat illius pro omnibus, qui in eum credituri erant, ad Patrem suum oratio: *ut omnes unum sint.* Joan 17. 20. 23. *Sicut tu Pater in me, & ego in te; ut sint consummati in unum.* Pondera verba ista bene apud temetipsum. Majus certe exemplar unionis, quam cum fratribus nostris nos habere oportet, dari non potest, nisi illa, quæ est inter personas divinas. S. Apostoli vestigia salvatoris secuti nunquam cessarunt virtutem illam prædicare populo, recens ad fidem conversis omnes idem dixerunt cum S. Petro: 1. Ep. 4. *ante omnia autem mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes.* Admiratione sane dignum est id, quod de S. Joanne Evangelista refertur; cum sanctus hic vir non posset amplius longas habere conciones ob extremam

suam

suam senectam, tantummodo hoc discipulis suis repetebat, & inculcabat: *filioli diligite invicem*; quia autem illi tœdio afficiebantur, quod semper idem audire deberent, rogarunt eundem, ut tandem aliquid novi afferret; ille *respondit dignam Joanne sententiam*, ego ita loquor, & semper antiqua repeto, *quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* S. Hieronymus lib. 3. in Epist. ad Galat. c. 6. hanc pulcherrimam vitæ ipsius circumstantiam, scriptam reliquit, quæ integrum sane librum valet; quia autem satis non est, scire, vel etiam prædicare charitatem esse vinculum perfectionis, hinc omnem conatum adhibere debemus illuc perveniendi, hinc

PUNCTUM II. Si volumus, ut fraterna charitas in nobis sit vinculum perfectionis, oportet primo, ita vivere, & tam concordes invicem esse, ut inter nos & fratres nostros non sit, nisi unum cor, & anima una, prout scriptum est de primis Christianis: *erat cor unum & anima una*, Act. 4. 32. id est, curare debemus, ut habeamus eandem opinionem, easdem inclinationes, eandem voluntatem, in quantum id nobis permittunt lex divina, & conscientia nostra. Hæc est regula, quam nobis dat apostolus: *unusquisque proximo suo placeat in bonum, & ædificationem.* Rom. 2. 2do Neminem pungere, vel tale quid dicere, aut facere, quod proximum contristare posset, sed potius accommodare nos illius genio, & omnia fieri, juxta

exem-

exemplum S. Pauli, ut omnes Christo lucremur: *factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucri facerem; omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 1. Cor. 9 22. 3tio excusare eorum defectus, sopportare illorum corporales, & spirituales, tegere illorum imperfectiones pallio charitatis, ita agere & conversari cum illis, ac si nihil tale adverteremus: *cum omni humilitate & mansvetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate.* Ephes. 4. An talem te hucusque exhibuisti erga proximum tuum? vide, in quo deliqueris, & pro præparatione ad Missam propone emendationem. O Domine, qui me tanto jam tempore supportas, an non merito timeam, te tandem defatigandum miseriis meis, siquidem ego adeo facile aliorum infirmitatibus me defatigari sino? verum tamen quia ad me venire dignaris, adauge quæso per hanc S. communionem, amorem proximi in me, ita quidem, ut quoscunque illius defectus supportem, quamcunque demum molestum mihi id accidat juxta monitum apostoli: *debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & nobis non placere.* Rom. 15. 1.

* ** * * * * * * * * * * *

FERIA QUARTA.

Commonentes vos metipsos, in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes, in cordibus vestris. Coloss. 3. 16.

DE CANTU ECCLESIASTICO.

1. Modus cantandi bene. 2. Defectus, quos evitare oportet.

PUNCTUM I. PRædicta verba S. Pauli ad Colloſſenſes oſtendunt, recitationem & cantum pſalmorum, ordinarium fuiſſe primorum chriſtianorum exercitium; hæ erant caſtæ ipſorum deliciæ; innocens occupatio; ſacræ quædam illecebræ, quibus miſerias peregrinationis ſuæ dulcorabant, & ad perſecutiones ſe parabant, verum hodie, poſtquam refriguit charitas, pſalmodia inter laicos fere ex toto ceſſavit, totaque tranſiit ad religioſos, & clerum, quibus eccleſia legem ſtatuit, & obligationem impoſuit. Delegati nimirum ſunt, & deputati ab ea, ut nomine omnium filiorum ſuorum, qui nimis diſtracti, & occupati ſunt, ſolicitudine rerum temporalium, preces puriſſimas, & frequentiſſimas inſtar tributi laudis, & incenſi, majeſtati divinæ, convenientis offerant. Quia ergo per nos fideles Chriſtiani, huic ſuæ obligationi, ſatisfacere intendunt, fiat id à nobis tali modo, qui ad excitandam eorum devotionem valeat. Oportet in hunc finem valde exactos nos eſſe ad aſſiſtendum choro, ibique pſallendi, & canendi laudes divinas, cum magna reverentia, & devotione, & expreſſione. *Omnes compellantur &c. in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis, Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare.* Conc. Trid. Seſſ. 24. de reſor. c. 12. Omnia complectitur

hos

hoc verbum *reverenter*. Oportet psallere, & canere cum tali modestia, quæ reverentiam omnibus adstantibus inspiret; vocem quamdam naturalem & non affectatam assumendo; omnia exteriora nostra ita componendo, ut nihil sit, quod non respondeat sanctitati loci, in quo sumus & functioni angelicæ, cui tunc vacamus *vocis sonum vibret modestia*. Ambros. l. 1 offic. c. 18 *Distinctè* oportet canere, servare pausas intermedias, non transilire verba, vel tantum dimidiata pronuntiare, ut ait S. Bernardus Serm. 44. in cant. *non præcidentes verba dimidia; non integra transilientes; non effractis & remissis vocibus, muliebre quiddam balbâ de nare sonantes; sed virili, ut dignum est, sonitu & affectu, voces Spiritus S. depromentes. Devote* oportet psallere; magis spiritu & corde, quam ore: *psallam spiritu, psallam & mente*. 1. Cor. 14 15. *Non quærentes sonum auris, sed lumen cordis*. ait S. Augustinus, in Psal 46. 8. debemus in animo versare cogitationem quamdam sanctam, vel accomodare affectus nostros sensui mirabili, qui in psalmis continetur. *Si orat psalmus, orate; si gemit, gemite; si gratulatur, gaudete; si sperat, sperate; si timet, timete*, ait idem S. Pater serm. 3. *omnia enim, quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt*. An ita conatus es functionem hanc ecclesiasticam peragere? ut id melius adhuc agnoscas.

PUNCTUM II. Considera, maximam partem clericorum recitare, vel cantare, sanctum

hoc officium, tanta cum somnolentia, distractionibus, tædio, displicentia, ut non tantum non mereantur populo christiano ullam benedictionem, quam à ministerio nostro sperare posset, & deberet, sed eam ab illo elongent, ac Deum ad iracundiam provocent, quem mitigare debuissent, non attendentes ad istam maledictionem, contra tales pronuntiatam, qui opus Dei negligenter faciunt: *maledictus, qui facit opus Dei negligenter*. Jerem. 48. 10.

Quot sunt, qui cum assistere deberent officio divino, cum & ex intentione, honorandi Deum, per cantum suum, & excitandi populum, ut Deum pariter suis precibus glorificent, non nisi ex consvetudine accedant, vel, quod adhuc pejus est, ex spiritu quodam avaritiæ, aut vanitatis, non aliud quærendo, nisi stipendium, aut plausum humanum? quot sunt, qui cum omni reverentia, modestia & devotione canere deberent, prout ecclesia ab ipsis id exigit, psalmodiam per verba inutilia, per indiscretum risum, & gestus, ac mores indecentes, interrumpunt, aut nescio qualem sonum vocis affectant, tamque mundanum & profanum, ut potius comicum in theatro, quam clericum in ecclesia deceret. Quot sunt, qui loco distincti cantus & pronuntiationis accuratæ & expressæ, seipsos invicem adeo urgent, & verba præcipitant, ut satis clare indicent, se aliud non intendere, quam ut se quam citissime expediant, absque omni spiritu pietatis & religionis; prout

tales

tales perstringit celebre illud concilium Aquisgranense, sub Leone pio ad 816. Reg canon. *psalmi in ecclesia non cursim, & excelsis atque inordinatis, seu intemperatis vocibus, sed plane, & dilucide & cum compunctione cordis, recitentur, ut & recitantium mens, illorum dulcedine pascatur, & audientium aures, eorum pronunciatione, demulceantur.* Denique ubi inveniuntur inter cantores ecclesiasticos tales, apud quos devotionem quamdam reperire sit? deberent illi vice aliorum benedicere, & laudare Deum, à quibus inhonoratur, & contemnitur, prout ipsi tam frequenter indicant per hunc versum: *non mortui laudabunt te Domine; neque omnes, qui descendunt in infernum; sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino.* Psal. 113. Sed eheu! sitne hoc ab illis, quibus cor adeo durum & insensibile est. Durum & adeo insensibile, ut nunquam ex hoc suo misero statu, egredi velint; vide, utrum non aliquem, ex primum notatis defectibus, incurreris? forte etiam in ipso altari? noli ad illud deinceps redire, nisi facto prius proposito, sacrum altaris ministerium perfectius deinceps obeundi: *bene psallite ei in vociferatione.* Psal. 32. O Domine, ah quam confundor! quam me pœnitet defectuum & errorum, quos hucusque in cantu, & precibus ecclesiasticis commisi, scio, quod ibi in societate angelorum psallamus & cantemus; scio, quod ipse ibi sis præsens; neque ignoro mercedem illam, quam iis promittis, qui

In hoc diligentes & accurati sunt; fac mihi hanc gratiam, ut functionem hanc meam, tam sanctam, tali modo peragam, ut tu glorificeris, populus ædificetur, & ego fructum exinde referam, ut hic in tempore feliciter id inchoare valeam, quod me una cum sanctis, per totam æternitatem, continuaturum spero: *repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Psal. 70. 8.

* * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA QUINTA.

Omne, quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum, Coloss. 3. 17.

DE MODO PERAGENDI ACTIONES NOSTRAS.

1. Oportet eas referre ad Dei gloriam.
2. In unione D. N. J. C.

PUNCTUM I. INstruit nos S. Paulus per verba citata, quomodo actiones nostras peragere debeamus, ut sint meritoriæ, & sanctitati vocationis nostræ conveniant. Id ipsum etiam habet in sua prima epistola ad Corinthios: *sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10. 31. Deo gratias, qui per apostolum suum, tanti momenti doctrinam nobis dedit, & discamus exinde, quemadmodum omnia in nos ex suo amore descendunt, ita pariter omnia in

eundem referri debere; si Deum diligimus, omnia in gloriam illius faciemus; quia omnia honorant, si fiant propter ipsum; quemadmodum omnia eum inhonorant, si ad alium finem, quam ad gloriam ipsius dirigantur. Observatio hujus doctrinæ, faciendi omnia propter Deum, vel sola sufficeret ad reddendum nos sanctos; si fideliter hoc exequeremur, vita nostra plena foret bonis operibus, & exempta ab omni peccato; actiones etiam vilissimæ in oculis hominum, & quæ pure naturales sunt, ut sunt bibere, comedere propter excelentiam tam nobilis finis, dignæ evaderent æternitate. Valde igitur infelices forent Christiani, si ad manum habendo medium tam facile proficiendi in sanctitate, illud negligerent, & nullam ex eo utilitatem traherent. Clericorum est, eos quoad hoc instruere, quemadmodum S. Paulus hic instruit Colossenses; eorum est ad particularia quoad hoc descendere ad exemplum apostoli, eosque docere, quod Deum non tantum glorificemus canendo laudem ipsius, sed etiam eum laudare & glorificare possimus in omni alia re, si Deum pro objecto, & fine habeamus; juxta hanc S. Augustini sententiam in Psal. 43. *quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum.* Verum si clerici hanc principalem, in ecclesia moralem doctrinam populo persvadere velint, debent ipsi esse primi, qui eam exequantur, memores se esse ministros filii Dei, qui non aliud spectavit in omnibus actionibus suis, nisi gloriam Patris sui,

neque

neque aliud quæsivit, nisi ut placeret illi, prout ipsemet dixit: *quæ placita sunt ei facio semper.* Joan. 8. 29. Adora puritatem hanc divini magistri tui; meretur ille hanc omnem reverentiam, & honorem. Ut ergo illum imiteris.

PUNCTUM II. Non tantum omnes actiones tuas pro gloria Dei; sed insuper etiam, in unione meritorum Jesu Christi, filii ejus facias, oportet. Hoc ipsum est, quod nobis insinuat ecclesia, quando hanc orationem suggerit, dum officium divinum inchoamus: *Domine, in unione illius divinæ intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, has horas tibi persolvo.* Ante oculos igitur tuos continuo versetur hoc divinum originale; solicite cura, ut omnia illius lineamenta cordi tuo bene imprimas, & postea in actionibus tuis, exprimas ad exemplum S. Bernardi Serm. 16. in cant. Anima mea! tui omnes in Jesum, & sensus dirigantur, & actus. Ajebat hic devotissimus Pater. Considera cum ipso non solum in generali, sed & in particulari, quid divinus hic salvator, toto vitæ suæ tempore, egerit? quomodo inter homines conversatus sit; qualem reverentiam, religionem, pietatem erga Deum Patrem suum habuerit; quam charitatem erga proximum, quam aversionem ab omni peccato; fugam à mundo, contemptum voluptatum, honorum, & bonorum terrenorum? imitare imaginem istam, & exemplar divinum ideo nobis datum, ut Tertullianus adversus Marcio. l. 2. c. 27. loquitur

ut

ut exinde actiones nostras omnes divine peragere disceremus: *conversabatur Deus, ut homo divina agere doceretur.* In Eucharistia autem præcipue, hoc grande secretum, unionis istius cum illo, discere possumus, si ad eam accedamus, prout oportet; ibi dicere ad illum possumus: *omnia tua, mea sunt, & mea, tua sunt;* quia ergo totus noster est, æquum est, ut & nos toti illius simus; quotidie ad altare in nomine ipsius loquimur; igitur etiam in omni occasione in nomine illius agamus: *omne, quodcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi.* Domine Deus meus, qui nonnisi à Jesu Christo gloriam obtines, neque tibi aliquid placere potest, nisi ad ea referantur, quæ tibi à tuo divino filio exhibentur, noli permittere, ut actiones nostræ alio spiritu animentur, quam suo, ut illo, in & per nos agente, & nos ejusdem voluntatem sequendo, in ipso, & per ipsum, & cum ipso tibi plenitudinem honoris, laudis, & gloriæ dare possimus, quæ tibi debetur, & quam aliunde accipere non potes nisi per ipsum: *per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, omnis honor, & gloria.* Can. Missæ.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA SEXTA

Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo; cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit. Matth. 13. 25.

DE IGNORANTIA ECCLESIASTICORUM.

1. Nocet ipsismet. 2. Nocet ecclesiæ.

PUNCTUM I. POtest parabola ista intelligi, de ecclesia universali, quam Christus in mundo stabilivit, in eaque seminavit bonum semen, nimirum tot animas electas, quas in ea posuit, Chrysost. & Hieron. ibi. Nam, quis est, qui dubitet, ecclesiam repletam esse optimis & perfectissimis christianis; interim, dum clerici, qui ministri & servi sunt Christi Jesu, qui fervorem & puritatem religionis conservare debuissent, in laboribus suis negligentes fuêre, & dormierunt; & neque se, neque alios instruxerunt, dæmon, qui occasione ignorantiæ hujus, ad suam utilitatem, usus fuerat, seminavit errores, & falsas doctrinas, per quas mores christianorum fuerant corrupti. Quis dicere valeat, quanta mala ecclesiæ causaverit per ministerium hæreticorum, & Novatorum? deplora hoc coram Deo! sed scito, malum hoc ab ignorantia originem trahere, quam ecclesiastici tanquam fontem omnium errorum evitare debent, prout quartum concilium Toletanum loquitur: *ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est; qui docendi officium in populis susceperunt; sacerdotes enim legere sanctas scripturas, frequenter admonet Paulus, dicens ad Timotheum, intende lectioni & exhortationi. Doctores semper manere, in his se sciant; igitur sacerdotes scripturas sanctas & canones meditentur, ut omne*

opus

opus eorum in prædicatione divina & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. Hæc sola doctrina pro integra meditatione valet; optandus esset, ut trabalibus literis in omnibus cubiculis & mansionibus seminariorum scriberetur, & ut omnes bene se super eam reflecterent, tunc plane non tot se in ecclesiam & functiones ecclesiasticas intruderent, qui neque talentà, neque sufficientes dispositiones habent, ut ei servire possint, ac proinde eam dehonestant per malam ac perversam suam conversationem; nam quia vivunt, ut ignorantes ecclesiastici, qualiter Missam legent, aut breviarium recitabunt? nullam affectionem erga exercitia pietatis habent; studia perhorrescunt; lusus, venationes, luxus, & debachationes, ordinaria talium sunt occupatio, & qui minus mali ac perversi sunt, saltim tempus suum otiose transigunt, vel in talibus laboribus insumunt, qui eis non conveniunt. *Otiositas autem inimica est animæ,* ait Petrus Blessensis tract. de inst. *si non legeris, si non studueris dormitabit anima tua prædio, & hostes tui animæ, sabbatha tua deridebunt.* Verum si ignorantia clericis adeo nociva est; multo adhuc magis populo, religioni, & toti ecclesiæ damnum affert; ut hoc capias.

PUNCTUM II. Considerá, quod exinde nascatur profanatio sacramentorum, contemptus rerum sanctarum, confessiones sacrilegæ, commu-

muniones indignæ, absolutiones præcipitatæ, ingressus simoniaci in beneficia ecclesiastica, susceptio sanctorum ordinum temeraria, siquidem ignorantia, irregularitas quædam est juris naturalis & divini, in qua nulla potestas, vel auctoritas, quæcunque illa sit, dispensare valet: *quia tu repulisti scientiam*, ait Deus per prophetam Osee 4. 6. *repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Ignorantia clericorum causa est omnium abusuum, & malorum, quæ in populo regnare cernimus qui cum non sint instructi in veritatibus fidei & doctrina evangelica, alii libertatem vivendi sectantur; alii in hœresim, imo quandoque in atheismum cadunt; alii totam vitam in sceleribus consumunt. Nescientes, quid lex divina præcipiat; quid prohibeat; omnes denique laborant fame, & siti verbi divini; proin iram Dei & maledictionem in totam parochiam provocant: *propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles ejus interierunt fame. & multitudo ejus siti exaruit.* Is. 5. 13. Ita vel ipse Deus apud Isaiam conqueritur. Quem non intime commoveat! bone Deus; si vel parum diligimus ecclesiam, calidissimas profunderemus lacrymas ob perditionem tot animarum, cujus se reos faciunt per suum silentium sacerdotes & pastores ignorantes, ut loquitur S. Gregorius Hom. 12. in Ezech. *tot occidimus, quot ad mortem ire, quotidie tepidi, & tacentes videmus.* Pro præparatione ad Missam; cape resolutionem ad pedes altaris

impu-

impugnandi & destruendi ignorantiam fictam, tam in te, quam in aliis. Da igitur quotidie aliquot horas studio, non ex curiositate, vel ad proprium gustum aut satisfactionem, sed ut alios instruere & exhortari possis juxta consilium & monitum S. Pauli datum Timotheo: *attende lectioni, exhortationi & doctrinæ.* 1. Tim. 4. 13. Si tibi etiam cura animarum non incumberet, necessarium tamen tibi est studium ad propriam tuam perfectionem; si autem cura aliorum tibi incumbit, adhuc magis & ferventius studio incumbere debes, ut aliis esse possis utilis, quia ut ait S. Hieronymus, Epist, ad Ocean. *nihil prodest conscientia virtutum frui, nisi & traditum sibi populum possit instruere.*

* * * * * * * * * * * * * *

DIE SABBATHI.

Domine; nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? & ait illis, inimicus homo hoc fecit. Matth. 13. 27.

DE VIGILANTIA PASTORALI.

Extendere se debet. 1. Supra nos ipsos.
2. Et super alios.

PUNCTUM I. HOc lolium superseminatum in agro patrisfamilias, ab inimico homine, dum dormirent homines, indicat, quomodo clerici, maxime pastores animarum vigilare debeant, tum supra semetipsos, tum supra alios; ne inimicus, seu adversarius, damnum iis afferat, quos divina providentia, curæ

curæ eorum commisit; id, quod nobis S. Paulus adhuc clarius dicit per hæc verba; quæ ad omnes omnino pastores dirigit: *attendite vobis, & universo gregi &c.* Act. 20. 28. Debent ergo clerici, maxime, quibus cura animarum incumbit, primo vigilare majori cura & solicitudine supra se ipsos: considerent, & meditentur sæpius, quod diabolus singulariter ipsis insidietur; crudelis hic inimicus animarum tentat eos omni modo; perbene enim scit, finem à se intentum, aliter se non obtenturum, ac sic facilius gregem ipsorum dispersurum: *percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* Matth. 26. En! quid nobis oculos nostros aperire, & movere nos debeat, ut continuo ac incessanter nobismetipsis invigilemus, & cor nostrum purum conservemus, ut nihil sit, quod puritatem illius inficere, aut corrumpere valeat. Agricola non tenetur semper vigilare; potest etiam quietem admittere & somnum, post semen terræ mandatum; satis est vinitorem vineam suam quandoque visitare; Christianus vero, maxime autem clericus omni tempore vigilare & in omni loco animæ suæ providere debet, quæ est vinea illa particulari curæ suæ commissa: *vigilate itaque omni tempore.* Luc. 21. 36. Vigilantia hæc eousque se extendere debet, quousque vita ipsius, incessantes è corde suo evellere, noxios illos surculos peccaminosæ cupiditatis & plantare surculos charitatis, ut ait S. Augustinus serm. 12. de V. O. c. 3.

en-

extirpa cupiditatem, planta charitatem; debet oculos suos continuo ad cælum elevatos habere, Deumque rogare, ut perficiat in ipso, quod cœpit, ut semen gratiæ, quod in illud jecit, fructificet, & impediat, ne dæmon illud per sua zizania corrumpat: *vigilantes in omni instantia & obsecratione*. Ephes. 6. 18. Anne ita hucusque super temetipsum vigilasti? sed quia talis particularis, & privata vigilantia non sufficit, ut quis sit bonus ecclesiasticus.

PUNCTUM II. Adverte, quod illa se extendere debeat etiam supra alios, maxime si cura animarum ipsi incumbat, tam sollicite vigilare debet super gregem sibi concreditum, ut id ipsum aliquando Christo Jesu dicere possit, quod Jacob. ad Laban: *diu noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*. Gen. 31. 40. Oculi pastoris evangelici nunquam clausi esse debent super necessitatibus gregis sui; Imitari debet, inquantum fragilitas humana permittit, vigilantiam infatigabilem ipsius Dei; cujus locum tenet, & qui se apud prophetam virgæ vigilanti comparat; *virgam vigilantem ego video*. Jerem. 1. 11. Deus posuit illum pro custode domus Israël. *Si ergo viderit gladium, & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo, audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se observaverit; veneritque gladius, & tulerit eum, sangvis ipsius super caput ejus erit* Ezech. 33. 3. Si autem obdormierit custos, seu speculator, tunc ipse dignus est

morte,

morte, & Deus vindictam de eo sumet, pro anima illa, quam diabolus per incuriam illius seduxit & abduxit: *sangvinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Ratio illi reddenda erit de strage animarum, quæ exinde secuta fuerit.

Contremiscite hic ministri Domini, nec unquam è memoria vestra elabantur obligationes vestræ, neque pondus illud, quod vobis impositum est; examina te ipsum breviter circa præteritum, quamnam vigilantiam adhibueris? o quantum zizaniorum & apud te, & apud tuos invenies! quot abusus irrepsere per tuam negligentiam, quot crapulæ, ebrietates, profanationes festorum! *speculatores cæci &c. canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia.* Is. 56. 10. ecce qualis fortasse hucusque fueris! pete veniam à Deo, & inposterum vigilantior esto. *Vigila fide, vigila spe, vigila charitate, vigila operibus. S.* Aug. Serm. 23. de V.D. Omni modo & ratione vigila, sit tua vigilantia continua, qualis erat illa sanctorum pastorum. S. Augustinus refert aliquid notabile valde de S. Cypriano; ait serm. 309. in natal. Cypri. Mart. n. 4. edit. novæ, sanctum hunc episcopum, postquam audiit executionem mortis suæ, unum diem adhuc dilatam esse; ingentemque multitudinem fidelium concurrisse, ita, ut totam noctem, ante januam domus, inqua asservabatur, insomnem, ac vigilando traducerent,
præ-

præcepisse, ut diligens cura virginum haberetur. O admirabilem Pastorem! exclamat hic S. Augustinus; ibid. *vicinâ corporis morte, non moriebatur in animo, pastoris vigilantia pastoralis, & cura tuendi gregis, usque ad extremum vitæ hujus diem mente sobria tenebatur.* Timor carnificis, cujus gladium jam capiti suo imminentem cernebat, non potuit in illo delere memoriam obligationis suæ, tanquam fidelis dispensatoris & ministri; *ità se martyrem cogitabat futurum, ut esse non oblivisceretur Episcopum, magìs curans, quam rationem, Pastorum Principi de commissis sibi ovibus, redderet, quàm quid infideli proconsuli, de fide propria, responderet.* ibid. Et nos timidi, & negligentes ministri omnia negligimus; vel minimum quid, oblivisci nos facit curæ nostræ, quam & propriæ, & aliorum saluti debemus. Pro Missa; roga supremum pastorem, ut dignetur visitare terram, seu agrum, quem ipse coluit, & toties irrigavit proprio suo sangvine, non est præter illum, qui noxias herbas evellere possit, quas tu in illo crescere sinis. O Domine, tempus est, ut vinea hæc putetur, quam adeò turpiter neglexi! *tempus putationis advenit* Cant. 2. 12. Fac bone JESU, fac istud! quia si tu manum tuam non ingeras, semper dormire pergam, converte igitur me, quæso, ut tandem laborem pro conversione aliorum. *Deus virtutum convertere; respice de cælo, & vide; & visita vineam istam; & perfice eam, quam plantavit dextera tua.* Ps. 79. 15.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Gratias agimus DEO ſemper pro omnibus vobis; memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione. 1. Teſſal. 1. 2.

DE GRATITUDINE.

1. Quàm ſollicitè gratias egerit DEO S. Paulus pro gratiis populo per ſuum miniſterium ab illo conceſſis.

2. Curare debemus, ut illum imitemur.

PUNCTUM I. VErba à quibus hodierna incipit epiſtola, magnæ ædificationis ſunt pro clericis, qui in curâ animarum occupati ſunt. Diſcimus hic à S. Paulo gratias agere DEO ſine intermiſſione, pro gratiis per miniſterium, & laborem noſtrum aliis collatis, & ut nunquam illorum obliviſcamur in precibus noſtris, quos è cathedra inſtruximus. Non poſſumus habere illuſtrius quoddam exemplum gratitudinis, quàm iſtud hujus Apoſtoli; tantummodo legere ſufficit epiſtolas illius, ut quis cor iſtud planè admirabile miretur, quod tam amplum erat, ut ad univerſam eccleſiam ſe extenderit; & ſanè tota eccleſia in corde erat S. Pauli, unà cùm omnibus bonis & malis ſuis; ſpatium illic erat pro toto mundo, orat DEUM, & gratias non ſolum in generali pro eccleſia agit, ſed pro omnibus eccleſiis in particulari: *gratias ago Deo meo ſemper*, ait ad Corinthios, 1 Ep. 1. 4. *pro vobis, in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu: quod in omnibus divites facti eſtis in illo.* Quod ad Romanos ſcribit notatu

dignius est; *primùm quidem gratias ago Deo meo per JESUM Christum, pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Rom. 1. 8. En! quomodo gratiarum actio, primaria & maxima illius cura, & solicitudo fuerit; en! quomodo neminem ab eo excludat, *pro omnibus vobis.* Adverte, quòd non solum gratias Deo agat, quia fidem receperunt, sed, *quia fides vestra,* ut ait, *annuntiatur in universo mundo* Nullius prorsus circumstantiæ obliviscitur, donorum DEI. Erat quasi thuribulum in manu tenens, ut, ubicunque super ecclesiam effundebantur. Deus gloriam sanctissimo nomini ejus propterea debitam consequeretur; en! quomodo ad Ephesios scribat? cap. 1. 16. *non cesso, gratias agens pro vobis, ego audiens fidem vestram.* Id ipsum etiam ad Colossenses c. 1. 3. scribit; *gratias agimus DEO, & Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram.* Si quid ei innotuit de virtutibus fidelium; etsi testis ocularis ipse non fuerit, illi jam erat, & sufficiens ratio Deum laudandi; neque semel tantum Deum laudavit; sed laudem & preces suas continuabat; hinc dicebat; *ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes.* Ibid. v. 9. Ignis iste jugiter ardebat in corde ipsius nec unquam destitit, offerre Deo hoc sacrificium laudis, Ministri Domini, en vobis exemplar; discite in 2do puncto curam & solicitudinem, quam habere debetis, ut eum quò adhoc imitemini.

PUNCTUM II. Hinc cogita frequenter quòd nil magis divinos amores ad se trahat, quam humilis agnitio & confessio, omnium, quæcumque bona & bene facere possumus, non nisi à Deo in nos derivari. Flumina de mari veniunt, ut illuc iterum revertantur *ut iterum fluant*, ait Sapiens, Ecclesiasti. 1. 7. *ad locum unde exeunt, revertuntur flumina gratiarum*, notat S. Bernardus, in cant. Serm. 1 3. *remittatur ad suum principium cæleste profluvium, quo uberius terris refundatur* Quo magis gratos nos ostendimus Deo, tanto uberius gratias suas super nos effundet, & laboribus nostris dabit benedictionem. Credimus hoc? facimusne sic? vita apostolica consistit in imitatione S. Pauli; jam vidimus, quemadmodum vita hujus admirabilis apostoli non nisi continuum sacrificium laudis fuerit, & gratiarum actio non interrupta; charitas ipsius complectebatur totum mundum; integras civitates, & etiam quosdam in particulari. Ah ubi nostra est charitas! quàm soliciti sumus, eum imitandi? quid respodebimus Christo Domino in judicio extremo, quando nobis objiciet, Apostolum hunc gratias sibi egisse pro salute omnium eorum, quos per prædicationem ad sui cognitionem perduxisset? & quod non obstantibus suis continuis laboribus, persecutionibus, peregrinationibus, diversis negotiis, & occupationibus, solicitudine, labore manuum suarum, necessaria sibi comparandi, nihilominus continuò perseveraverit orando, ut dignaretur illud com-

plere,

plere, quod per ipsum cepisset, donando iis magnum illud donum perseverantiæ; quod nos è contra adeò negligentes fuerimus, & aliud ad agendum nihil habentes, nisi hoc solum; liberi à curis & negotiis mundanis & sæcularibus, ut sic eò expeditiùs servitio ecclesiæ intendere possemus, ad talia non tantum non adtenderimus, sed meliorem & potiorem partem temporis, etiam illius, quod orationi destinatum erat, in longè aliis consummaverimus. Resolve te inposterum melius huic tuæ obligationi satisfaciendi; sanctissima Eucharistia, ad quam toties accedis, excellens tibi medium subministrat, siquidem illud offerendo, vel sumendo, talem Deo gratiarum actionem exhibemus, quæ ex omnibus illi gratissima, acceptissima, perfectissimaque est. Uni te Christo Jesu, qui se in hoc sanctissimo Sacramento recondidit, ut nostram gratitudinem suppleat, & continuò Patri suo æterno, pro nobis gratias agat. Roga ipsum, ut talem tibi sensum & affectus det, ut nunquam cesses illum laudare, & benedicere pro beneficiis omnibus, & singulis, cum interea tot ingrati existunt, qui eorum planè obliviscuntur. *Salva nos fac Domine Deus noster; congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo; & gloriemur in laude tua.* Ps. 105. 47.

* * * * * * * * * * * * * * *

FERIA SECUNDA.

Memores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis & sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi ante Deum, & Patrem nostrum 1. Tessalon. 1. 3.

DE Sanctitate PRIMORUM CHRISTIANORUM.

1. Quales illorum fuerint virtutes.
2. Quam longè ab iis nos absimus.

PUNCTUM I. ELogium, quod S. Paulus hic Thessalonicensibus tribuit, materiam nobis ad meditandum valdè utilem præbet; quia in illo inveniemus, unde nos humiliemus, & confundamur, in comparatione vitæ nostræ adeò nobis sensualis, & laxæ, cum fervore, contemptu rerum præsentium, patientia, & vitâ plenè cœlesti istorum primorum Christianorum. Isti non erant ministri altaris, vel ad alias sacras functiones destinati, aut personæ tales, quæ ab omni commercio mundi fuissent separati, quorum virtutes Apostolus hic recenset; homines erant vinculo matrimoniali alligati; qui uxores habebant, quasi non haberent; qui utebantur hoc mundo, tanquam non utentes; qui continuò ad cœlum suspirabant; qui incessanter orabant; qui in tribulationibus gaudebant, semper parati; & prompti vitam pro Christo Jesu & Evangelio illius immolandi; adeò à divitiis abhorrentes, ut ad pedes Apostolorum pretium bonorum suorum attulerint; adeò temperantes in suo agape (ita vocabantur convivia ipsorum) ut fuerit schola sobrietatis; adeò pœnitentiæ dediti, ut continua habuerint jejunia; adeò submissi, & obedientes pastoribus suis, quasi ipsi Christo Domino; ita orationi dediti, ut bonam partem noctis eidem insumpserint; uno verbo

bo-

bo, adeò fuêre sancti, ut ex horrore, & fugâ vitiorum solummodò ab aliis discerni potuerint; prout Tertullianus l. ad Scapulam. c. 2. de Christianis, etiam sui temporis loquitur, *in silentio & modestia agimus, nec aliunde noscibiles, quàm de emendatione vitiorum.* Id, quod etiam reperimus in illa pulcherrima epistola Ecclesiæ Lugdunensis & Viennensis ad Ecclesiam Smirnensem, dum sanctam Blandinam, quæ erat mancipium, ad hoc adigere volebant, ut prætensa & Christianis falsò imposita crimina fateretur. Jlla inter gravissima tormenta constanter respondit: *Christiani sumus; apud nos nil criminis admittitur.* En! qualis fuerit primorum Christianorum virtus, quos benè appellare possumus *primos religiosos* Christi Jesu; verùm quantùm nos ab iis distamus!

PUNCTUM II. Si bene consideremus sanctitatem, & puritatem morum, qui in primis istis ecclesiæ sæculis floruêre Christianorum, necesse erit agnoscere & fateri, nos nequidem nomen Christianorum mereri, qui sumus de stirpe Chanaan, & non de progenie Juda; adeò nimirum ab illa decidimus. Ubi est illa perfecta renuntiatio propriorum commodorum? ille contemptus divitiarum, illa voluntaria paupertas, illa unio cordium, illa patientia in persecutionibus, ille ardor martyrii, illæ preces continuæ, jejunia, vigiliæ, austeritates? &c. ad quorum vel solum nomen contremiscimini? *quid ad hæc nos sumus?*

ve-

ventris animalia, ut verbis S. Hieronymi utar, quæ nobis magis conveniunt, quàm sancto huic, qui vitam adeò austeram vivebat, & qui insuper vicinus erat huic aureo ecclesiæ sæculo. An non justissimam ingemiscendi causam hic habent omnes Clerici, quòd tantam inter Christianos relaxationem, disciplinam adeò debilitatam, impuritatem & scelera ferè ubique impune regnare videamus. Eheu! quomodo accidit tanta mutatio! quæ illius causa? *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* Thren. 4. 1. Pastores & ministri Ecclesiæ Jure merito sibi timere debent, ut si populus hodiedum adeò perversus est, id non ex illorum negligentia & defectu accidat, siquidem quemadmodum Propheta ait, grex ordinariè suo se Pastori accomodat; *& erit sicut populus, sic Sacerdos.* Is. 24. 2. Primi Christiani non erant adeò, ac tam excellenter perfecti; nisi quia illorum pastores tales fuêre; sint etiam nostri tales, & quamprimum etiam populus illos sequetur, & imitabitur. Pro præparatione ad Missam; recogita seriò, quam perfectus esse debeas. Et time hanc terribilem comminationem scripturæ. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos Dominus.* Exod. 19. 22. Oportet vitam, actiones omnes, & dispositiones sacerdotum, in oblatione corporis, & sangvinis Christi, quamdam habere relationem & similitudinem cum statu divinæ hujus victimæ, quam Patri æterno offerunt, id est, quemadmodum Jesus Christus

hostia

hostia est Deo digna, quia infinitè sanctus est, infinitè purus, infinitè elongatus est ab omni vel minima sorde, ità etiam vita sacerdotis, qui minister est, hujus divinæ oblationis, esse debet vita pura, sancta, irreprehensibilis, & ab omni macula peccati exempta. Hæc tecum recogita, antequam ad altare accedas; en! quibus te occupare debeas tam ante, quàm post Missam. *Qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus; tunc enim pro nobis hostia erit, cum nosmetipsos Deo Patri hostiam fecerimus.* S. Gregorius M. l. 4. Dialog c. 8.

* * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA TERTIA.

Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu sancto & in plenitudine multa, sicut scitis, quales fuerimus in vobis propter vos. 1. Thessal. 1. 5.

DE PRÆDICATIONE S. PAULI.

1. Quare Apostolus iste adeò fructuosè prædicaverit.

2. Et cur nos tam modicum fructû afferamus.

PUNCTUM I. EN materiam meditationis non minùs utilem, quam præcedens fuerit, siquidem pariter nos humiliandi nobis præbet ansam & causam. Indicat nobis S. Paulus maximos illos fructus, quos prædicatione sua apud Thessalonicenses attulit; id, quod planè nos summopere confundere debet, qui tam modicum fructum afferimus. Exhibuit hunc felicem successum non solùm miraculis, quibus mini-

ministerium suum Deus condecoravit, sed insuper bono suo exemplo, & vita irreprehensibili, & ædificatoria, quam inter eos duxit. *Scitis quales fuerimus in vobis, propter vos.* Asserit, populum hunc, fidem veram tanto cum ardore, amplexum, tantùmque splendorem virtutum & sanctitatis emisisse, ut tanquam veri imitatores sui Apostoli, imò ipsius Jesu Christi potuerint omnibus aliis ecclesiis, tanquam exemplar, & norma perfectionis proponi. *Imitatores nostri facti estis, & Domini &c. Ita, ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia & Achaja.* Ibid v. 6. 7. Collige exinde, quàm efficax sit prædicatio Evangelii, si bono insuper exemplo suffulciatur. Si vitam vivas vere Ecclesiasticam, vix necesse erit, ut aliquid dicas, prout Apostolus id ipsum notavit; *ita, ut non sit nobis necesse quidquam loqui.* Erant Thessalonicenses adeò confirmati in fide, per exemplum S Pauli, & in amore Jesu Christi taliter accensi & ferventes, ut sine prædicatione, & quin pedem aliquem è Patria sua extulerint, ipsi fuerint Apostoli & prædicatores Evangelii per totam Græciam, & per totum mundum; *à vobis enim diffamatus est sermo Domini; non solùm in Macedonia, & in Achaja, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est.* En! grande illud secretum, quo apostolus usus fuit, ut animas Deo lucraretur, & ex cordibus hominum idola illa auferret, quibus immolabant, volo dicere, passiones, quibus adeò tenaciter inhærebant, & eò

indu-

induceret, ut unicè deinceps ſervirent Deo verò, & Jeſu Chriſto filio ejus: ſed quæſo, unde hoc accidit, quod eandem veritatem prædicantes, quam prædicavit apoſtolus, tam parùm fructum afferamus nos? rationem hujus rei dabit.

PUNCTUM II. Hanc facile detegimus; nimirum diſcurſus & conciones plurimorum, qui ſe in hoc officium ingerunt, conſiſtunt *in ſermone tantum, non autem in virtute multa*; prædicatio illorum non fulcitur, neque per orationem, neque per vim & efficaciam boni exempli, prout illa S. Pauli; illi non amant Deum, neque Jeſum Chriſtum filium ejus, ſicut apoſtolus iſte; non faciunt id ipſum, quod alios docent; en! quare verba illorum non ſint niſi merus & vacuus ſonus; cymbalum tinniens, nullam autem cordibus audientium impreſſionem faciens; *dabis voci tuæ vocem virtutis*, ait S. Bernardus, ſerm. 54. in Cant. *ſi, quod ſuades, tibi prius cognoſceris perſvaſiſſe; validioris operis, quàm oris vox &c. vox oris ſonat, vox operis tonat.* Lingua oris, dicebat S. Franciſcus Saleſius, ad aurem corporis loquitur; verùm lingua cordis ad corda audientium loquitur; vis, ut verba tua ſint efficacia, vide, ut ipſe priùs ab iis movearis, quæ alios docere & perſvadere cupis; item eſto primus, qui id exequeris, quia ad omnes omninò prædicatores ſpectat, quod de divino magiſtro noſtro ſcriptum eſt, *cœpit Jeſus facere & docere*, Act. 1. Deplora hic cæcitatem tot clericorum, qui per indiſcretam quamdam præcipitan-

pitan-

pitantiam, hunc ordinem invertunt, & alios docere festinant, quod ipsi nunquam in praxim reduxêre, O quàm rarum est! quòd ejusmodi prædicatores magnas conversiones evincant; *facere & docere* symbolum est omnium prædicatorum, qui in suo ministerio sancti evadere cupiunt; qui aliam viam ingreditur, meretur potiùs considerari, ut successor pharisæorum, quàm Apostolorum, siquidem imponit aliis jugum, quod ipse ferre recusat; *sit igitur rector operatione præcipua*, conclusio est, quam debemus cum S. Gregorio Papa l, 2. Pastor c, 3. *illa vox namque libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat*. Felix Pastor! felix prædicator! qui huc pervenit! & cujus vita continua ad virtutem exhortatio est; magnus erit in regno cælorum, *qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*, Math: 5. 19. Ipse Dominus Jesus per hæc verba canonizavit omnes illos, qui in suo ministerio ità victuri sunt. Roga illum, te ut talem reddat; celebra aut communica hodie ad hanc intentionem; prædicator, qui Deum in corde suo possidet, verba Dei habet, & vox ipsius etiam maximos peccatores dejiciet, præfiguratos per cedros Libani, de quibus propheta loquitur: *vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia; vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani &c. vox Domini præparantis cervos: & revelabit condensa; & in templo ejus omnes dicent gloriam*. Psal: 28. 4. 5. 8.

FE.

FERIA QUARTA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis; quod accipiens homo seminavit in agro suo. Matth. 13. 31.

DE DOCTRINA EVANGELICA

1. Parvitas. 2. Magnitudo. 3. Et virtus seu efficacia doctrinæ Evangelicæ.

PUNCTUM I. DAt nobis Dominus Jesus in parabola ista, de grano sinapis, imaginem quamdam doctrinæ suæ, modo quodam sensibili, & propriis quasi oculis cernere facit progressum, quem evangelium suum in & per totum orbem facit, ad eum ferè modum, quô modica illa planta sinapis crescit, quæ cùm sit minima ex omnibus plantis, tandem in arborem excrescit, quæ latè ramos suos extendit. Quid magis modicum? quid infirmius, quid contemptibilius coram oculis hominum, quàm prædicatio evangelii in suo principio? credere in Jesum Christum? qui totam vitam suam transegit, in paupertate, in obscuritate, in humiliationibus; adorare Deum crucifixum? gentibus stultitia, Judæis scandalum, philosophis causa & objectum derisionis, principibus occasio persecutionum; fuit id, quod Paulus 1. Cor 1. 23. insinuabat; *prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum: gentibus autem stultitiam*; quid abjectius? quàm ferre injurias; inimicis ignoscere, portare crucem suam, semetipsum abnegare; contemnere divitias, & honores hujus mundi? hæc ipsa autem erat

do-

doctrina Christi, quam annuntiare & evangelizare oportebat hominibus superbis; & qui nam hoc fecerant? duodecim pauperes piscatores; gens invalida, absque litteris, sine eloquentia, quos Deus elegit, ut confunderent potentes & sapientes hujus sæculi; utque totus mundus cerneret; suum hoc esse opus & negotium; *non de oratore*, ait S. Augustinus in Psal. 36 serm: 2. n. 14. *piscatorem, sed de piscatore lucratus est oratorem; de piscatore lucratus est senatorem; a piscatore lucratus est imperatorem.* Adora hunc modum agendi Divinæ providentiæ; & postquam vidisti doctrinæ evangelicæ modicitatem seu parvitatem in suo principio.

PUNCTUM II. Considera magnitudinem & extensionem illius in progressu, hoc divinum granum in arborem excrevit; in cujus ramis volucres cæli svaviter quiescebant; dum potentes hujus mundi principes, sapientes, ac philosophi, in ecclesiam intrârunt, & sub umbra ipsius se occultaverunt, atque fructibus illius se refecerunt. Apostolorum voce, & sono per totum terrarum orbem sparso, turmâtim accurrerunt populi ad ovile Christi: imò ipsimet reges & magnates hujus mundi, gloriæ ac honori sibi duxerunt, si portare possent jugum evangelii, eisque obedire. Rem miram! prædictum & præfiguratum longè anteà hoc fuit in Daniele, per illum parvum lapidem, qui decisus crevit in montem magnum; *lapis factus est mons magnus, & implevit universam terram*, Daniel. 2. 35.

&

& per illum fontem parvum, quem Mardochæus per somnium vidit: *fons parvus crevit in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundavit*, Esther. 11. 10. Nullum tam grande, tamque admirabile, quàm tale spectaculum, pro iis, qui diligunt decorem & pulchritudinem domûs Dei; extra se rapi se experiuntur & prægustum aliquem talis gaudii capiunt, quali fruuntur beati in cœlo, dum ità exclamant; *magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens; justæ & veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum, quis non magnificabit nomen tuum?* Apoc. 15. 3. sed admiratione ista haud contentos nos esse oportet super doctrina evangelica; videamus insuper in tertio puncto vim & efficaciam illius.

PUNCTUM III. Hæc ipsa indicatur nobis pariter in & per proprietates grani sinapis, quod ex omnibus seminibus, plurimum acrimoniæ habet, si conteratur; quod indicat efficaciam & vivacitatem doctrinæ evangelicæ, quæ, si benè expendatur, & masticetur, etiam indurata in malo animas movere, & gravissimis peccatoribus lacrymas ciere, & lapidea corda conterere valet; *nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* Jerem. 23. 29. Audi, quid de hoc dicat Paulus Hebr. 4. 12. *vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus: compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.*

Pon-

Pondera benè vim & virtutem illius; gladius est ex utraque parte acutus, in intima secreta cordis penetrans; *dicit de temporalibus*, prout S. Augustinus in Ps. 49. 12. notavit, *dicit de æternis, in utroque probat, quod dicit, & eum, quem ferit, seperat à mundo.* Vide, quàm acutus sit gladius, qualem, quamtàmque divisionem facere valeat? separat sanctos, dividit impios, separat à te, quod impedimento saluti tuæ est; vult se consecrare Deo filius; Pater hoc non vult; verbum Dei unum ab altero separat; vult clericus servire Deo; statui ac vocationi suæ satisfacere; non approbant hoc consangvinei ejus; gladius iste utraque parte acutus quæstionem hanc decidit. Sacerdotes Dei! quotidie ad manum habetis gladium hunc spiritualem, ut rescindere possitis, quod in aliis malum esse cognoscitis, utere tu illo primùm pro te ipso; quia quantumcunque perfectus sis, semper invenies in temetipso, quod abscindas; roga Christum Jesum, quem in S. Communione sumpturus es; quique advenit, ut gladium hunc in mundum secum afferret, ut gratiam tibi conferat, benè illô utendi, & omne illud à te ipso separandi, quod te impedire possit, ne ex integro ipsius sis; *non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversùs patrem suum, & filiam adversùs matrem suam, & nurum adversùs socrum suum,* Math. 10. 30.

FERIA

FERIA QUINTA.

Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit, in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Matth. 13. 33.

DE USU RERUM MODICARUM.

1. Qualiter contemnantur.

2. Quomodo æstimari debeant.

PUNCTUM I. PArabola de fermento idem significat, quod granum sinapis, volo dicere, vim & fæcunditatem verbi Dei, nova igitur non indiget expositione, Hier. ibi. admirabimur cum SS. PP. modum agendi & prædicandi Salvatoris nostri, qui duabus similitudinibus hic utitur, quas a rebus minimis & vilissimis desumpsit, ut doceret nos haud contemni, aut negligi debere res minimas, nam si iis bené uti sciamus, nonnisi maximam nobis afferre possunt utilitatem; sufficiat itaque hic advertere, quod error sit valdè communis, & ordinarius, quòd nonnisi magnis uti velimus; contemnuntur parva & modica; & nonnisi sublimia placent; si quis sublimi orationi vacare non possit, nullam amat; si grandem Pœnitentiam subire non valemus, tunc nullam arripimus, & sic de aliis: iste putatur esse zelus, & nihilominus in isto apparenti fervore sæpiùs plus vanitatis, plus de proprio amore, aut ambitione invenire est, quàm devotionis & pietatis solidæ. Abstinere à modica quadam curiositate, ab inutili aliquô verbô; in re quadam modica obedire, vel alteri servire &c. quid refert? dicere

solemus, àn operæ pretium sit, talibus intendere? interea nos ipsos per hunc contemptum rerum modicarum fallimus, & haud advertimus, quòd sensim per illum trahamur ad majora mala, juxta illud Sapientis; *qui spernit modica, paulatim decidet*, Eccles. 19. 1. cùm per fidelitatem nostram, in ejusmodi minimis, quasi insensibiliter ad perfectionem pertingere potuissemus, Testatur S. Theresia de se ipsâ, quòd priùs, quam Spiritus S, in corde ipsius illud magnum incendium amoris accenderat, à quo feliciter consumpta fuit, se priùs in rebus modicis exercuerit, & in ejusmodi sponso suo amorem suum contestari quæsierit illis horis, quas olim in rebus vanis consumebat, scopabat; chorum accedebat, dum nulla alia inveniebatur, ut ibi aliqua in ordinem componeret, & se felicem reputabat, quòd sororibus suis sponsis agni immaculati, quæ ad psallendas Dei laudes consecratæ erant, hoc modicum servitium exhibere posset. Talia nobis videntur modica, sed forsasè illud ipsum fuit, per quod ad tam altam contemplationem ascendit, quam in illa admiramur: disce exinde æstimationem, quam de rebus modicis facere debeas.

PUNCTUM II. *Magnus esse vis*, ait S. Augustinus, serm. 69 de verb. evang. alias 10. de Verb. D. *à minimo incipe*. Incipe à rebus parvis, sed benè inchoa, ut continuare possis; arripe minimas occasiones orandi, & te humiliandi, quæ tibi se offerunt, & brevi in perfe-

ctum

ctum christianum & ecclesiasticum evades, res istæ modicæ non sunt magnæ, quasi per se placere magnopere possint Deo, sed magnus ille amor, ex & cum quo fiunt, eas magnas reddit; Deus non quærit, nisi amorem sui, nihil magni facis, si parum ames, nihil modicum & parvum, si multum ames, vasculum aquæ frigidæ pauperi datum ex amore Dei, vel ipsum cœlum promereri valet. Nota, quando Christus Dominus servum bonum invitat in gaudium Domini sui intrare, hoc non ideò factum esse, quasi in carcerem missus, & ad mortem ob fidem damnatus fuerit, sed quia in minimo fidelis erat; *quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Matth. 25. 21. *intra in gaudium Domini tui*, quod S. Bernardo ansam præbuit dicendi, in solemn. SS. omnium: *In minimis esse fidelem non parvum est, hoc parvum non parvum est, sed ferè totum.* Examina te nunc, qualis fuerit tua in rebus modicis fidelitas? ah! quoties neglexisti Deo dare illud modicum, quod à te petiit in ista, vel illa occasione, ubi potuisses avertere oculos tuos, reprimere lingvam tuam, refrenare proprium amorem tuum &c.? roga illum pro hac gratia, ut deinceps nil amplius contemnas, quod ad gloriam ipsius, & ad tuam propriam sanctificationem quoquo modo aliquid conferre potest, si hodie communicas, haud dubium est, quòd rem magnam feceris, sed cave, ne modica tua præparatio hoc ipsum non faciat quid parvum & infructuosum, quod in se

adeò grande quid, & excellens est. Igitur benè te ad illam præpara, & postquam omnes vires adhibuisti, tua gratiarum actio in eo sit, ut admireris Deum, quòd dignatus sit ad te venire? *ergòne credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram; si cælum, & cæli cælorum non te capiunt, quantò magìs domus ista, quam ædificavi.* 2. Paralip. 6. 18.

* * * * * * * * * * * * * * *

FERIA SEXTA.

Hæc omnia locutus est in parabolis ad turbas. Matth. 13. 34.

DE MODO INSTRUENDI POPULUM.

1. Debent hoc ecclesiastici facere solidè & familiariter.
2. Motiva cur ità fieri debeat.

PUNCTUM I. ADora verbum æternum, sapientiam DEI Patris, prædicantem populo in parobolis, atque utentem exemplis familiaribus, ut ità veritates salutares toti mundo redderet intelligibiles. O quàm admirabilis est iste modus? & dignus planè attentione & reflexione nostra! docet nos per hoc, quòd ecclesiastici, si utiliter pro salute animarum laborare velint, familiares ac vulgares se exhibere debeant in suis instructionibus, debent esse persvasi cum apostolo, quòd omni generi hominum debitores sint; *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum,* Rom. 1. 14. Cum gaudio & gustu loquimur

mur de religione & fide nostra cum personis, quæ perspicacis ingenii, ac rerum intelligentes sunt, quia facilè id capiunt, quod illis dicitur; sed nonnisi cum repugnantia id à nobis fit respectu rudium, quia difficultatem patimur, ut eis persvadeamus veritates illas, quas docendi sunt, & tamen hæc ipsa est in particulari occasio, ubi zelus ecclesiasticorum elucere debet, ut dicere valeant cum apostolo; *væ mihi, si non evangelizavero*, 1. Cor. 9. Pastor totum se debet gregi suo, hic autem constat & compositus est ex sapientibus & simplicibus, æquè uni, ac aliis debitor est, sed certa quadam ratione, plus simplicibus & rudibus, quam sapientibus & scientibus, quia hi ultimi possunt per suam scientiam supplere instructionem pastoris sui, ubi simplices hoc non valent, ergo exactius isti debent instrui, & eadem ipsis sæpiùs repeti, cùm habeant intellectum valdè tardum, & non velocem, *ea, quæ sunt instructioni necessaria, sæpius oportet insinuare rudioribus*, ait S. Augustinus, de Bapt. contra Donat. l. 2. c. 1. Tot diversis modis & viis, talia ipsis proponi debent, donec tandem aliquid capiant. Neque hoc ipsum absque fructu est, eorum, quibus hoc onus incumbit, necessitas ista, quam experiuntur unam, eandemque rem toties inculcandi, quousqe eam intelligibilem reddant, ejusmodi tardis intellectibus ipsis servit, ad acquirendam magnam facilitatem, in publico loquendi. Instruxistíne tuos hôc modô? quôt

quot clerici ab hac methodo recedunt, qui, cùm deberent se applicare, ad tractandas materias utiles & necessarias, talia gaudent ex cathedra proponere, quæ sunt curiosa, extraordinaria, sublimia, quæ transcendunt intellectum tertiæ ferè partis auditorum suorum? qui conciones suas implent subtilitatibus & ratiociniis philosophicis? an non dicas, tales non prædicare, nisi ut auditores suos confusos reddant; quíque totam gloriam suam in eo ponunt, ut non intelligantur, nisi à valdè paucis? evita hunc defectum, & errorem; & ad hunc effectum.

PUNCTUM II. Examina rationes & motiva, cur studere debeas modo alicui solido, ac familiari. Primum est, exemplum Christi Jesu, qui nobis in evangelio testatur, se specialiter venisse propter instructionem pauperum. *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me.* Luc. 4. 18. Visne tu negligere eos, qui principale objectum erant, missionis divini magistri tui? 2dum est, intentio ecclesiæ, quæ hoc ipsum pastoribus animarum præscribit: *diebus saltem dominicis & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandòque eis cum brevitate & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare; & virtutes, quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant.* En! quomodo Tridentinum de hac re loquatur! en

re-

regulam, quam ſequi debes! 3tium deſumitur ex ipſa natura veritatum, quas prædicamus, quæ hoc requirunt Non indigent arte, neque præceptis eloquentiæ ut perſvadeantur; ſufficit, ut ſimpliciter explicentur, *ut fides veſtra non ſit in ſapientia, ſed in virtute Dei.* 1. Cor. 2. 5. Non opus eſt diſcurſibus ſublimibus, neque figuris rhetoricis, ut hominibus perſvadeatur, illorum beatitudinem, & totam felicitatem conſiſtere unicè in eo, ut cognoſcant Deum, & quem miſit, filium ſuum, principalem illorum obligationem eſſe, ut ament Deum ſuper omnes alias res, & evitent omne id, quod ei diſplicere poſſet, quòd ſolummodo unicam animam ſalvandam, unicum cœlum ſperandum, unum infernum timendum habeant &c Simplex expoſitio harum veritatum majorem intellectui auditorum impreſſionem facit, quàm alii vel eloquentiſſimi diſcurſus. Quos fructus non afferunt tot homines apoſtolici, qui talia cum aliquo zelo & ſimplicitate prœdicant! propone, quòd eos imitari velis; tunc enim cum S. Paulo dicere poteris; *ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* 1. Cor. 2. 4. Pete à Chriſto Domino hanc gratiam, in præparatione tuâ ad Miſſam, offer illi te ipſum, ut aliquid conferre valeas ad hoc grande negotium, nimirum perducendi homines ad agnitionem veritatis per prædicationem evangelii; & ſi te ad tam ſublime officium vocavit, talem

mo-

modum prædicandi assumere stude, qui toti mundo utilis esse valeat; *prædicate evangelium omni creaturæ.*

* * * * * * * * * * * * * * *

DIE SABBATHI.

Sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum erat per prophetam, dicentem; aperiam in parabolis os meum; eructabo absondita à constitutione mundi. Matth. 13. 35.

DE CATECHISMO.

1. Necessitas illius.
2. Modus Catechizandi.

PUNCTUM I. ISta abscondita ab initio mundi, & quæ nobis revelata fuêre à Jesu Christo, sunt mysteria & veritates evangelicæ, quas Dominus noster Apostolos suos, eorùmque successores jussit annuntiare in universa terra. *Euntes docete omnes gentes.* Matth. 28. Considera, quàm fideliter executi sint Apostoli hanc sibi dâtam commissionem maximi momenti, nec unum diem intermittebant, ait S. Lucas, quin pluries de die, de Christo loquerentur; *omni autem die non cessabant in templo, & circa domos, docentes & evangelizantes Christum Jesum.* Quid dicitis âd hoc ministri ecclesiæ, qui locum tenetis Apostolorum? non petitur, ut quotidie, quemadmodum illi, catechismum tradatis, sed ad minus ad hoc, ecclesiæ obedire debetis, ut dominicis, & festis diebus id fiat. Trid. Sess 24. c. 4. Anne obligationem vestram circa hoc ignorare po-

poteſtis? prœſertim ſi cura animarum vobis incumbit? *nonne greges paſcuntur à paſtoribus?* Ezech. 34. quomodo prœtenditis, ut tot pauperes & miſeri ruſticani,tot mechanici & alii ſimiles, qui neque legere, neque ſcribere ſciunt, veritates illas addiſcant, quorum ſcientia ad ſalutem eſt neceſſaria? ſi vos eorum curam non habetis? *pauciſſimis datum eſt, ut nullo ſibi prædicante homine doctrinam ſalutis accipiant,* ait S. Auguſtinus de bono perſev. c. 9. Quamdiu ignorantes in tua parochia inveniuntur, obligatus es, ut illos inſtruas, niſi incurrere velis hanc reprehenſionem, quam per prophetam ſuum facit, quæque in extremo die judicii, tot eccleſiaſticis & paſtoribus ad confuſionem erit, qui nullam curam adhibuêre, ut ignorantes inſtruerent: *parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Thren. 4. 4. Quia autem non ſufficit convictum eſſe de neceſſitate catechiſmi, diſce in 2do puncto modum, illum tradendi.

PUNCTUM II. Non tam facilè eſt, benè ac fructuosè tradendi catechiſmum, ac nobis imaginamur, eſt una ex principalioribus inter functiones eccleſiaſticas,quæ ſummam applicationem meretur, & plus difficultatis, patientiæ, manſvetudinis, unctionis ſpiritualis, diſcretionis & perſeverantiæ requirit, non eſt communis quidam labor, ſed ad ſapientem architectum pertinet ſtabilire fundamentum religionis ſeu fidei noſtræ, ait S. Hieronymus, in cap. 1. epiſt.

ad

ad Titum. *fundamentum nemo potest ponere, nisi sapiens architectus*. Ut prosperè & ex sententia procedat, oportet primò aliquem priùs benè instructum esse in veritatibus fidei nostræ, antequam in statu esse possit, ut illas modo claro & intelligibili per quæstiones & responsiones, breves & faciles aliis explicare queat. *Optimus docendi modus*, ait S. Augustinus, l. 4. de Doctr. Christ. c. 10. *quô fit, ut, qui audit, verum audiat, & quod audit, intelligat*. 2dò sequi certam methodum, reducere doctrinam christianam ad certa quædam capita principalia, ut sunt symbolum Apostolorum, sacramenta, præcepta Dei & Ecclesiæ, oratio dominica &c. Ostendere dein, quanti momenti sint veritates inibi contentæ, ut majori cum aviditate audiantur, easq; sæpius repetere, ut quilibet eas capere valeat. Da infanti integrum panem; si illum non frangas, fame morietur, idem sentiendum de veritatibus christianis, si non solicitus sis, ut eas digeras, & perceptibiles reddas, multum loquèris, neminem autem instrues, seu docebis. 3tio accomodare se captui audientium, instruere magnos & parvos, quemlibet juxta suam capacitatem, quod S. Paulus docet, scribens ad Corinthios 1. ep. 3. 2. *lac vobis potum dedi, non escam*. Et ad Thessalonicenses 1. Ep. 2. 7. *facti sumus parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos*. Oportet omnes instruere, æquali charitate, abstinere ab omnibus quæstionibus curiosis & inutilibus, historiis incertis vel dubiis,

& aliud non amplecti, nec proponere, nisi quod fidem & mores perficere possit, hujus rei iterum nobis dat exemplum apostolus, quando ait: Act. 20. 20 21. *vos scitis, quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis & docerem vos publicè & per domos, testificans Judæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.* An ità catechismum hucusque tradidisti? vide, in quo erraveris? & pro præparatione ad Missam, pete veniam à Jesu Christo de præterito, promitto illi, quòd exactior deinceps futurus sis, in satisfaciendo obligationi tuæ, & peragendâ functione hac adeò sibi gratâ, quamque ipse etiam obire dignatus est, dum in terra versabatur. O Domine! qui adeò amas animas, & qui benè nosti, quod quotidie pereant per ignorantiam veritatum ad salutem necessariarum, & ob modicam curam & solicitudinem catechistarum, da mihi, quæso, omnem illum amorem pro labore isto, quem meretur hæc functio, quam ipse filius tuus non est dedignatus, quamque etiam discipuli ejus tanto zelo obiêre, & habita semper fuit pro una ex præcipuis functionibus ecclesiasticis, fac ut eam deinceps ità strenuè exerceam, ut illam mercedem recipere merear, quam promisisti eis, qui alios instruxerint; *qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. 12. 3.

DO-

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ

Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis. 1. Cor. 9. 24.

DE PERSEVERANTIA IN VIRTUTE.

1. Oportet exercere se in virtute usque in finem, ut quis bravium accipiat.

2. Qualiter jure timere debeamus; in consideratione excelletissimorum virorum, qui lapsi sunt.

PUNCTUM I. COnsidera in epistola hujus diei, quòd vita christiana sit quasi studium seu cursus, ubi omnes fideles currunt; ut bravium obtineant, verùm eheu! pauci sunt, qui currunt, prout oportet, & ut remunerationem propositam accipere mereantur! omnes, qui ludos olympicos intrârunt, ad quos hìc alludit S. Paulus, & aliqui currbant quidem, aliquanto tempore, prout oportebat, sed quia non perseverârunt usque ad terminos & limites prœfixos, prœmium cursûs non meruerunt. Idem sentiendum de iis, qui stadium virtutum ingrediuntur, omnes ibi currunt, & similiter aliqui ex iis, prout oportet, certo tempore, quia autem ad finem usque non perseverant, pariter bravio privantur, quod Deus, pro hoc cursu, proposuit. O quam terribilis est hæc comparatio, parumper te reflecte super illam! igitur non sufficit, dum in ministerium ecclesiasticum intras, ut magnam sedulitatem, in peragendis functionibus tuis prœ te feras, magnum zelum osten-

oſtendas in ſatisfaciendo obligationibus tuis, ac extremam exactitudinem etiam in minimis adhibeas. Zelus iſte non debet eſſe ignis quidam tranſitorius, illique ſimilis, qui in ſpinis exardeſcit, *exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Pſ. 117. Oportet, ut ſemper ſit æqualis & uniformis; ut ejuſdem ſemper ſit conſiſtentiæ, & ſubſiſtat in mediis vel adulationibus vel contradictionibus mundi, quem nullum intereſſe, ſeu commodum, nulla prætenſio, nulla formido alterare, vel extinguere valeat, cujus fidelitas nunquam inutilis evadat, & nullam laboris ſui mercedem quærat, ſiquidem ſola perſeverantia eſt, cui Deus præmium promiſit. Viſne, ait Spiritus S. ad Epiſcopum Smyrnæ: accipere coronam vitæ? *eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. Si zelum Apoſtolorum patientiam martyrum, puritatem virginum poſſideres, ſi tandem remittas, & à via juſtitiæ aberrés, omnium bonorum operum tuorum non recordabitur Dominus: *ſi avertit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ, quas fecerat, non recordabuntur.* Ezech. 18. Meditare ſedulò hanc grandem veritatem, & ut adhuc magis de ea convincaris:

PUNCTUM II. Conjice oculos tuos, non dico, ſuper communes homines ſeu vulgus, ſed ſuper eos ,qui virtuoſiſſimi apparebant, qui omnium erant illuminatiſſimi? & gratiæ donis magis cumulati, quot invenies quibus perſeverantia deſuit, *ſine qua, nec qui pugnat, victoriam,*

nec

nec palmam victor consequitur, ut S. Bernardus ait Serm. in cant. Ardentes & fervidi studium virtutis intrârunt, sed non continuârunt cursum suum usque ad terminum præfixum, insensibiliter lassati fuêre in cursu, & fidelitati in satisfaciendo obligationibus suis, defuerunt, et quia gratiis à Deo acceptis non responderunt, privatos se denique viderunt bravio cursûs sui. Bone Deus! quis contremiscat post tot & tanta exempla fragilitatis, & infirmitatis humanæ, quæ desuper habemus! sumùsne sapientiores Salomone? interim cecidit ille, & lapsus illius adeò deplorandus est, ut siquid adhuc boni de illo præsumere valeamus, id solum sit, quod salus illius saltem incerta sit. Sumùsne melius, & certius vocati, quàm Judas? & tamen hic apostolus, ab ipso Christo vocatus, evasit in filium perditionis. Sumùsne subtilioris scientiæ, quàm Tertullianus advers. Hæret. cujus opera in tanta æstimatione erant apud SS. PP. de quibus etiam dicit Vincentius Lirinensis, *cujus quot verba, tot sententiæ sunt. Quot sensus, tot victoriæ.* Nihilominus postquam unus ex principalioribus Dei defensoribus fuit, tandem finiit per infamem Montani hæresim. Sumùsne melius instructi ipso Origene, qui taliter in S. Scripturis versatus erat? & innumeri alii, qui adeò zelosi in, & pro fide nostra apparebant? qui tamen adeò felices non fuêre, ut pervenire potuissent ad præmium ab ea promissum. Contremisce in consideratione lapsuum tam funestorum,
di-

disce tibi ipsi diffidere, & in spiritu sinceræ humilitatis ad Jesum recurrere. Pro præparatione tua ad Missam, pete instanter à Deo hoc grande donum perseverantiæ, quæ est consummatio omnium meritorum nostrorum, & principium æternæ felicitatis nostræ, ùt S. Augustinus ait, de dono persev. c. 6. *magnum Dei donum, quo cætera dona conservantur*; sola est, æternitas redditur, vel potiùs, quæ hominem æternitati *reddit*. Communica hodie, cum novo fervore, & devotione, ut hoc cœlesti nutrimento suffultus, ambulare possis, usque ad finem viæ virtutis, quin deficias, aut lasseris; anima te ipsum bravio tibi proposito & promisso, quæ est corona incorruptibilis & gloria immortalis. Ah! quàm benè meretur merces ista, ut tibi ipsi violentiam quamdam inferas; sic ergo curre, ut eam de manu Dei recipere merearis; *sic currite, ut comprehendatis*. O Domine! qui me ad tantam mercedem vocas, fac me per gratiam tuam in tantum laborare, ut eam recipere merear. Dirige gressus meos, adjuva infirmitatem meam, & conserva me usque in finem, ut ad promissam recompensationem curram, prout oportet. Comple ô Domine in me miserationes tuas divinas! *mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.* Ps. 16. 7.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA SECUNDA.

Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. 1. Cor. 9. 25.

DE

DE TEMPERANTIA.

1. Obligatio ecclesiasticorum quo ad temperantiam. 2. In quo consistat?

PUNCTUM I. COmparat Apostolus vitam præsentem cursui & conflictui, & christianos athletis; comparat vitam hanc cursui, ut ostendat nobis, quàm velociter & citò transeat, & obligationem nostram, quam habemus quotidie progrediendi in via versus cœlum, per praxin & exercitium virtutum, præcipuè temperantiæ, quæ est medium efficacissimum, eò perveniendi, & ut quis victor de conflictu exeat proponit in hunc finem nobis exemplum athletarum ad imitandum. Quid faciunt homines isti, ut in publicis lusibus insigne quoddam specimen dent? observant exactam temperantiam, abstinent à cibis exquisitissimis, & delicatissimis, ne fortè mollescant, infirmentur, delicati & effeminati evadant, frigus tolerare assuescunt, & contra omnes àëris injurias indurescunt. Quare se ipsos adeò coarctant? ad quid vitam tam duram & laboriosam assumunt? *illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*. Et nos, qui pugnamus & confligimus pro corona incorruptibili & immortali, non privabimus nos aliquibus, quæcunque demum sint? nos non tolerabimus, nec minimam molestiam, vel mortificationem? addiscamus hic igitur obligationem nostram temperanter vivendi; virtus hæc necessaria est omnibus christianis, siquidem regnum cœlorum violentiam patitur

titur, & ad illud perveniri non poteſt, niſi quis propriis deliciis ac commoditatibus renuntiet, juxta doctrinam Chriſti Matth. 11. 12. *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Sed ſingulariter neceſſaria eſt eccleſiaſticis; profeſſio ipſorum, quæ eos de hoc ſæculo evocavit, ad hoc eos obligat, ut deliciis ac voluptatibus hujus ſæculi renuntient; *clerici à vulgari vita ſecluſi*, ait concilium Moguntinum, Can. 10. *à mundi ſe voluptatibus abſtineant.* Nam quomodo talibus perſonis permiſſum ſit, partem habere in ejusmodi voluptatibus, dum per primam tonſuram clericalem, Deum pro ſua parte, & hæreditate elegerunt, & mundo renuntiarunt; *raſio capitis* ait S. Hieronymus, Epiſt. 3. *eſt temporalium omnium depoſitio.* Quando quis ſemel ad partes eccleſiæ acceſſit, non debet ſe amplius immiſcere concupiſcentiis & deliciis hujus ſæculi. Hæc ipſa cauſa eſt, cur quartum Concilium Cartaginenſe, etiam ipſis epiſcopis, ſequentia ordinârit: *Epiſcopus vilem ſuppellectilem, & menſam, ac victum pauperem habeat, & dignitati ſuæ auctoritatem, fide, & vitæ meritis quærat.* Et ut ad praxin veniamus.

PUNCTUM II. Conſidera, in quo conſiſtat temperantià chriſtiana? virtus hæc non ſolum prohibet exceſſus, quos in cibo vel potu committere poſſumus, ſed præſcribit inſuper juſtam moderationem, quam in omnibus aliis rebus nos obſervare oportet; ordinat convivia noſtra, veſtitum, utenſilia, habitationem, verba, aſpectus,

gressus, conversationem nostram; coërcet propensionem nostram ergà voluptates, honores, & bona hujus mundi; impugnant rebellionem carnis nostræ, & inordinata cordis nostri desideria crucifigit; claudit oculos nostros & aures nostras, ut nec videant, nec audiant, quod prohibitum est. Ligat lingvam nostram & pedes nostros, ut ultra id, quod permissum est, non egrediantur; uno verbo, est abstinentia quædam generalis, ait S. Basilius, reg. fus disp, interr, 16. ab omnibus iis, quæ perfectioni nostræ possent esse obstaculo. Clericus, qui exempli gratia, perfectè temperans est, non contentus est, si præcisè ventri suo dominetur, sed omnem curam adhibet, ut nulla in eum passio dominetur, quarum mancipia sunt, qui mundum amant. Temperans est respectu vanœ gloriæ, & non sinit se seduci laude & adulationibus sæcularium; temperans est in divitiis, & exactè paupertatem evangelicam observat; temperans est, in iracundia, ejusque motus per veram patientiam reprimit; temperans est, in usu omnium sensuum suorum; frœnum injicit lingvæ suæ; præscribit limites oculis suis; & auribus suis non permittit, ut quidquam mali audiant. Estne hæc tua imago? interim temperantia, ût Basilius primum dixit, ad omnia se extendit; & quicunque regulas hasce transgreditur, ùt intemperans haberi debet; *extra quos cancellos, qui egressus sit; ille incontinens ac petulans est.* Ibid. Examina hic tuum modum agendi,

gendi, & invenies, quòd nondum ad hanc perfectam temperantiam perveneris; pete illam à Domino JESU Christo, qui eam tantopere dilexit, & cui tibi illius tam excellens exemplum in tota vita sua dedit. Pro præparatione tua ad Missam, roga illum; ut per sacramentum sanctissimi corporis sui, ubi memoriam passionis suæ & mortis renovat, doceat te mortificare propriam carnem tuam; & dic ei viva fide, quæ toties ex Sapiente in breviario re-repetis; *Domine Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno; extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi; & desiderium malignum, averte à me concupiscentiam, & animo irreverenti & infrunito ne tradas me.* Eccles. 23.

* *

FERIA TERTIA.

Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi àërem verberans, 1. Cor. 9. 26.

DE INTENTIONE, QUAM NOBIS PRÆFIGERE DEBEMUS.

1. Puritas intentionis.
2. Defectus intentionis.

PUNCTUM I. EXemplo S. Pauli discere debent christiani & clerici, quomodo currere debeant in stadio salutis, & virtutum; qui illum nonnisi in incertum currit; aerem verberat; & non faciet magnos passus; vel si facit, cùm sint extra viam,

aliò non conducent, quàm ut longius à cælo aberret; non ut ei appropinquet. Non currebat hic apostolus in incertum, quia continuò ante oculos suos sibi statuebat gloriam Dei; progressum Evangelii & sanctificationem animarum; *omnia facio propter evangelium,* dicit, 1. Cor. 9. 23. *ut particeps ejus efficiar.* Non verberabat aerem, quia semper Spiritu JESU Christi agebatur, in omnibus sequendo normam, & modum agendi illius; nunquam gloriam propriam, sed unicè divini magistri sui quærebat, prout ipsum Deum in testem vocat, ita loquens ad Thessalonicenses; 1. ep. 2. 4. 5. *ita loquimur, non quasi hominibus placentes; sed Deo qui probat corda nostra; neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ; Deus testis est.* Auderemusne hoc ipsum testari de nobis? scrutemur cor nostrum, & videbimus, utrum eandem puritatem intentionis cum Apostolo habeamus? ex alia intentione seu fine laborare, est currere in incertum; non est nisi bona intentio, quæ pretium & meritum actionibus nostris tribuere possit, quemcunque splendorem in oculis hominum præseferant; si Deus illarum finis non est, non nihilo reputabuntur; & nos aliquandò ut hypocritæ, tractabimur; *amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Math. 6. E contrario, quàm parùm etiam à nobis fiat pro gloria Dei, e. g. dare pauperi poculum aquæ frigidæ; instruere puerulum; recipiemus

propterea

proptérea mercedem noſtram, *amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*. Matth. 10. 42. Collige exinde, quam neceſſarium ſit, ut rectam intentionem in omnibus, quæ facimus, habeamus; hœc eſt oculus ille ſimplex, de quo evangelium loquitur, qui totum corpus actionum noſtrarum vel tenebroſum vel lucidum reddit; hæc eſt pyxis illa nautica, quœ dirigit evângelicum Nauclerum; quœ bonos paſtores à malis diſcernit, œdificia ex auro, argento, & lapidibus pretioſis conſtructa, & ſolido fundamento innixa, ab iis, quœ ex ligno, fœno & paleis conſtant, ſeu fundamento ruinoſo innituntur. Interim

PUNCTUM II. Quot errores & defectus intentionis non ſolùm inter chriſtianos, ſed & inter ſacerdotes & miniſtros eccleſiæ reperire eſt? eheu! quàm pauci directè Deum reſpiciunt; qui nonniſi honorem illius intendunt, ſive dum amplectuntur ſtatum eccleſiaſticum, ſive dum functiones illius peragunt? ubi ſunt illi, qui cum propheta regio Pſ. 17. 21. dicere poſſint; *retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus?* ô quàm majori jure defacto exclamare poſſemus cum S. Auguſtino in Joan. Evang. c. 6. tract. 25. quàm ipſe in diebus ſuis? *vix quæritur Jeſus propter Jeſum!* aliqui amplectuntur ſtatum eccleſiaſticum nonniſi ex intentione quadam mercenanaria, ſacerdotium pro arte & opificio teneant, unde ſibi

victum,

victum, & alia necessaria procurent, alii considerant divitias & pingues reditus beneficiorum, ex quibus consanguineos suos & affines ditare, & ad altiora promovere valeant, alii statum ecclesiasticum ut talem aspiciunt, per quem à communitate & vulgo distingvantur, & ut per ostentationem talentorum suorum naturalium magnam apud homines sibi famam & reputationem comparare valeant. Alii per hoc propriam familiam stabilire, vel altius extollere intendunt, alii quietem quærunt, ut magìs commodè & deliciosè vivere queant, & sic tot clerici se ipsos fallunt, si ad dexteram respexissent, ait S. Augustinus, in Ps. 141. vidissent, quid ab iis Deus requireret, sed quia ad sinistram respexerunt excœcati sunt; *attendisti ad sinistram excæcaberis.* Examina te nunc, quales tuæ fuerint intentiones? *scrutare spiritum tuum, te ipsum interroga; & dic, ad quid venisti?* S. Bernad. Quare sacerdos factus es? cur intrasti in hoc beneficium? quare Missam legis? quare alias functiones clericales peragis? ô quàm multos defectus & errores in tuo modo vivendi invenies! ô quàm viles intentiones proprii interesse, amoris proprii, æstimationis hominum? quæ ædificium tuum periculo exponunt, ne in ultimo die judicii igni adjudicentur, qui unius cujusque opera probabit. Nullum ex iis subsistet, nisi quod factum fuerit ex intentione Deo placendi, & ex motivo gloriæ ipsius. Time, ne judex tuus de hoc ipso te reprehendat ac illum

episcopum

episcopum apocalipticum; *non invenio opera tua plena coram Deo meo.* Apoc. 3. 2. Missam legisti per plures annos, advētus vel quadragesimas côcionatus es, assiduus fuisti in choro, exactus in administratione sacramentorum in parochia tua; multum laborasti, multùm sudasti in officio tuo, interim omnia ista vana, vacua, sterilia, infructuosa sunt, & pro nihilo illa habet DEUS. Quare hoc? quia non nisi humanos fines spectâsti, non nisi ex proprio amore laborâsti; non quæsiisti aliud, nisi applausum, hominum æstimationem, tuas commoditates, & propriam tuam satisfactionem; hinc nil minus, quàm de Dei gloria & honore cogitâsti; *non invenio opera tua plena coram Deo meo.* Humilia te coram Deo, & ab eo veniam pete; & esto imposterum fidelior; in quœrenda illius gloria, *quæritis me propter aliud; quærite me propter me.* S. Augustinus in Joan. Tract. 25. Pro prœparatione ad Missam; uni intentiones tuas cum iis, quas Christus Jesus habuit; & roga illum, ut purificet illas ab omni eo, quod in iis posset esse defectuosum; ità ut imposterum aliud non quœras, nisi ut ipsi placeas, quemadmodum ille in omnibus Patri suo placere studuit. Ecce oleum, quod ad altare apportare debes, ait S. Augustinus, lib. ad Honorat. seu Epist. 140. n. 75. ut ad exemplum virginum prudentum lampas tua non extingvatur; *ideo non deficiunt lampades, quia interiori oleo vegetantur, id est, intentione bonæ conscientiæ,*

quâ

quâ coram Deo sit in ejus gloriam, quidquid coram hominibus, in bonis operibus lucet.

FERIA QUARTA.

Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. Cor. 9. 27.

DE TIMORE.

1. Qualem timorem nobis ingerere debeat, hic modus S. Pauli secum agendi.
2. Motiva timoris.

PUNCTUM I. E*Lecti quique*, ait S. Gregorius M. lib. moral. in Job. 203. *quamdiu in hac vita sunt, securitatis sibi confidentiam non promittant; boris enim omnibus contra tentamenta suspecti, occulti hostis insidias metuunt.* Hujus rei exemplum nobis hic dat apostolus, quando ait: *castigo corpus meum &c.* qualem terrorem non incutiant verba ista clericis etiam perfectissimis! quâ præsumptione; quâ fiduciâ, in nostris bonis operibus stare audebimus contra hoc exemplum humilitatis & patientiæ? quid? S. Paulus, qui potius angelus, quàm homo est; illud vas electionis à Jesu electum; ut nomen ipsius portaret coram regibus & populo terræ; iste operarius indefessus, qui tot provincias, regnaque peragravit; maria trajecit; deserta perlustravit? qui tot pericula expertus, tam malè habitus, carceres & naufragia pertulit, ut homines ad ovile Christi perduceret; iste doctor

totius

totius universi, & ut omnia uno verbo dicam; S. Paulus? (nam hoc solum nomen plus valet, quàm quæcunque dici possent) castigat corpus suum? illud tractat, ut inimicum suum, & in servitutem redigit? & nos ministri tepidi, indigni, perversi, negligentes servi, qui nihil adhuc pro Christo Jesu fecimus, & pro ecclesia ipsius; quique fortassis per fenestram tantùm ingressi sumus in ovile, non tantùm non castigamus corpus nostrum ob peccata, in quæ nos hucusque induxit, & quibus nos adhuc quotidie exponit, sed delicatè nutrimus? commoditates suas illi procuramus? & per crudelem quamdam indulgentiam, quietem suam illi concedimus? qualis confusio pro nobis! ille, qui in tertium cœlum elevatus fuit, vivit in timore & tremore, & nos, quorum conversatio adhuc super terram est, vivere audemus in securitate? exclamat hic S. Gregorius hom. 4. in Ezech. *adbuc timet, qui in cœlum ducitur, & jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur*? Estne S. Paulus nimiùm scrupulosus? an nos nimiùm temetarii? examinemus hoc in 2do puncto, & videamus motiva, quæ in nobis hunc timorem excitare debeant.

PUNCTUM II. S. Gregorius; qui specialem attentionem habuit, & reflexionem fecit super citata verba, notat, quòd duæ causæ, seu motiva induxerint S. Paulum ad ità severè tractandum proprium corpus suum. Recordatio peccatorum præteritorum, & consideratio

ratio divinorum judiciorum. Nunquam è memoria sua dimittebat antiqua peccata sua; *ego sum minimus apostolorum*, dicebat, 1. Cor. 15. 9. *qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiam Dei*. Cogitatio de judiciis divinis pariter in illo hunc timòrem conservabat; *castigo corpus meum & in servitutem redigo*, ait hic *ne fortè, dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*. Quid aliud reperimus, ait hic S. Pontifex, in verbis istis, quàm manifestam convictionem & condemnationem duritiæ cordium nostrorum! *quia ipse plangit, quod ante baptisma commiserat; nos vero & post baptisma multa commisimus, & tamen flere recusamus*. ibid. Sacerdotes, pastores, ministri Dei, quicunque sitis, & quemcunque demùm zelum pro salute animarum vôs habere, vobis imaginamini! vivete in timore & diffidentia de vobismetipsis; ac in continua praxi pœnitentiæ. Exemplum S. Pauli ad hoc vos inducere debet; sed consideratio divinorum judiciorum, defectuum innumerabilium, quos commisistis, & adhuc in dies committitis in ministerio vestro, contra obligationes vestras, exercitium hoc vobis facit esse necessarium. Ne fatigemini igitur, in castigando corpore vestro, ut ea puniatis, ad quæ vobis ansam dedit; reducite per continuam quamdam mortificationem vestrorum sensuum carnem vestram in servitutem, ne contra spiritum denuo rebellare præsumat; exercete vos in operibus pœnitentiæ, ne, dum ea

aliis

aliis prædicatis, vos autem ipsi ea refugitis, reprobi efficiamini. Plurimi, qui ea neglexerunt, periêre; & vos etiam peribitis, si eorum exemplum exemplo S. Pauli præferre audeatis. Pro Missa; pete à Jesu hunc salutarem timorem, qui ex *S.* Paulo fecit tam magnum pœnitentem; si timor iste verè ac vivaciter configat carnes tuas, omnem conatum adhibebis cum hoc S. Apostolo, ut æternam beatitudinem consequaris; & tunc cum ipso pariter dicere poteris; *ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo JEsu*, Philip. 3. 14.

* * * * * * * * * * * * * * * *

FERIA QUINTA

Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Matth. 20. 2.

DE OBEDIENTIA EPISCOPO DEBITA.

1. Ad ipsum pertinet mittere inferiores ministros.
2. Hi debent ipsi obedire.

PUNCTUM I. UT nos non detineamus in referendis diversis explicationibus, parabolæ hujus evangelii; quas aliunde addiscere, & scire possumus, sufficiat nobis hoc dicere, animam nostram, vineam istam esse, ad cujus perfectionem nos laborare oportet, usque ad finem diei, id est,

usque

usque ad finem vitæ nostræ, si à Domino Deo nostro accipere volumus denarium vitæ æternæ; præter hanc vineam particularem cujus cura cuilibet in particulari incumbit, aliam adhuc dari, cujus servitio se consecrârunt clerici; nempe ecclesiam JEsu Christi. Hæc vinea amplius se extendit, & difficilioris culturæ est, quàm prima; ut quis in ea laborare valeat, prout oportet, nullus se ipsum ad eam vocare, vel nominare debet, etsi etiam sanctus foret; opus hìc est aliqua missione: *misit eos in vineam suam.* Oportet expectare vocationem divinam, quæ nobis manifestatur per missionem superiorum, præcipuè episcoporum, qui sunt apostolorum successores; quos Spiritus sanctus posuit, ut ecclesiam Dei gubernent; ad hos igitur recurrendum, ut cognoscamus, quid de nobis Deus apud semetipsum constituerit. Episcopus, ait S, Cyprianus, Epist. 55. tenet in ecclesia locum judicis nomine Christi; *Judex vice Christi.* Ipse de ministris inferioribus judicare, & cuilibet locum, & officium suum assignare debet; & ideo sacrosancta concilia, sanctionem fecerunt, ut episcopi nullum clericum ordinent, qui non sit necessarius vel utilis ecclesiis suæ diœcesis. *Cum nullus debeat ordinari;* verba sunt Tridentini Sess. 32. de reform. c. 16. *qui judicio episcopi non sit utilis vel necessarius suis ecclesiis; sancta synodus, vestigiis sexti canonis Concilii Calcedonensis*

inhæ-

inhærendo, statuit, ut nullus imposterum ordinetur, qui illi ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur; non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. O quàm benè fieret, si hœc ordinatio fideliter observaretur! sine dubio non esset videre tot sacerdotes vagabundos, & inutiles Ora Deum pro episcopis, pro collatoribus beneficiorum, & aliis superioribus, quibus cura incumbit eligendi operarios evangelicos, ut huic suæ obligationi satisfaciant, & non præsentent, vel dent ecclesiæ alios, quàm qui sint utiles, ut illi serviant, & gloriam Dei procurent.

PUNCTUM II. Considera, quòd si episcopi est, mittere ministros inferiores, ad laborem, & istorum sit, ut ei fideliter obediant; ad hoc seipsos obligârunt, dum ordinati fuêre in præsbyteros; ibi enim solemniter coram S. Altari, & infra nobilissimam illam, totius vitæ illorum, actionem, & ceremoniam, hoc ipsum promiserunt. Interim judicium formando, ex plurimorum sacerdotum modo agendi, respectu episcoporum suorum, quis non dicat, quòd se ad hoc non obligarint; & quòd hoc ipsorum juramentum obedientiœ & submissionis non fuerit, nisi pura ceremonia, quæ nullo modo liget, seu obstringat. Ubi sunt illi sacerdotes, qui judicium suorum episcoporum, ùt oportet, sequuntur; qui parati sint illud officium, seu functionem, seu locum amplecti,

plecti,

plecti; quem episcopo placuerit, eisdem assignare? an invenire sit tales, qui id ipsum ad suum episcopum dicant, quod Saulus ad Dominum; fac, quod vis; ego ad omnia dispositus & paratus sum; *Domine quid me vis facere?* Act. 9. 6. pauci sunt hujus characteris, exclamat S. Bernardus, major illorum pars è contrario imitantur illum cœcum in evangelio, quem Christus interrogare debeat, quid sibi à se fieri peteret; *quid vis, ut faciam tibi?* Luc. 18. 41. *heu! plures habemus evangelici illius cæci, quàm novi apostoli imitatores &c. sic profectò, sic multorum usque hodie pusillanimitas, & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat, quid vis, ut faciam tibi? non ipsi quærant; Domine, quid me vis facere?* S. Bernard. Serm. 1. in Cõv. Pauli. An non es ex eorum numero? examina te desuper. S. Ignatius Martyr. Epist. ad Smyrn. vult sacerdotes honorari tanquam apostolos; *presbyteros sicut apostolos.* Verùm etiam vult, presbyteros honorare episcopos, & eisdem ità obedire, quemadmodum Christus obedivit Patri suo. *Episcopum sequimini, sicut JEsus Christus Patrem;* ait, Epist. ad Mag. esse quid terribile, si quis ei contradicat; *terribile est enim tali contradicere.* Nunquam fecisti hoc? nunquam ipsius modum procedendi, per insupportabilem superbiam despexisti, aut omninò calumniatus es? nunquam illius te jurisdictioni subtrahere voluisti, nunquam recu-
sâsti

stiti ejus ordinationibus obedire? consuluistine illum in difficultatibus circa curam animarum tibi occurrentibus? conservàsne in corde tuo dispositionem seu promptitudinem aliquam sinceram faciendi id omne, quod ipse à te petiturus esset, quod in se justum, & tibi possibile foret? èsne contentus, si supra te invigilet? an ità humiliter sentis, ac S. Bernardus, cujus sunt hæc verba notatu dignissima? de mor. Episc. c. 9. *quis mihi dabit centum, in mei custodiam deputari pastores? stupenda insania, animarum non cunctor turbas mihi custodiendas colligere, & unum super propriam, gravor habere custodem?* vide, in quo hucusque deliqueris, & illud reparare stude. Pro præparatione ad Missam, renova obedientiam episcopo tuo promissam. Vide exemplum, quod tibi quotidie præbet Dei filius in sanctissima Eucharistia, statim in momento se sistit, vocatus à sacêrdote; consignat se in manus illius, & ad hunc modicissimum statum unius parvæ hostiæ, se reducit. Bone Deus! qualis & quanta hæc obedientia! *obediente Deo voci hominis.* Jos. 10. 14. Sed quæ confusio pro nobis, si post tale exemplum obedire recusamus iis, qui jus habent nobis præcipiendi? *obedite præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Hebr. 13. 17.

FERIA SEXTA.

Quid hic statis tota die otiosi? Math. 20. 6.

DE LABORE

1. Ecclesiastici tenentur laborare.
2. Interim pauci laborant, prout oportet.

PUNCTUM I. QUot sunt ex clericis, quibus idemmet objici posset, quòd paterfamilias hodie in hominibus illis reprehendit, quos in foro stantes & otiosos invenit? quot videre est, qui se servos & ministros JEsu Christi dicunt, quorum tota vita transigitur vel in nihil faciendo, vel in malè faciendo, vel faciendo omne aliud, quàm quæ eos facere oporteret? deploremus hic hanc infelicitatem, & benè apprehendere, & comprehendere studeamus obligationem nostram, quæ nobis ad laborandum incumbit. 1. Ad hoc obligari sumus tanquam homines; *homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Job. 5. 7. Labor lex quædam est omnibus Adæ filiis a die nativitatis eorum, imposita, usque in diem mortis; *jugum grave super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ.* Eccles. 40. 1. Ad omnes ex nobis dictum est: *in sudore vultûs tui vesceris pane tuo* Gen. 3. 18. Sciò benè, non omnes obligatos esse ad exequendam hanc sententiam ad literam, & ut agricultoræ, aut alii ejusdem naturæ labori vacent; quilibet autem laborare debet secundum proportio.

portionem status & conditionis suæ, ita ut Deus à nobis requirat applicationem ad functiones ministerii nostri. Labor hic est, qui magis intellectum, quàm corpus fatigat, qui non minus aliis laboriosus est; attentio & intellectualis intensio, quam adhibere quis debet, ut aliquo modo penetret mysteria religionis nostræ, ut in bonum theologum evadat, ut intelligentiam acquirat eorum, quæ in scriptura sacra & traditionibus obscura sunt, labor ille est, qui nobis præscriptus & ordinatus est. 2. Ad laborem damnati sumus tanquam peccatores. Adjecimus qualitati filiorum Adam etiam illam, quòd simus peccatores; proprio nostro arbitrio & voluntate peccavimus, æque ac per voluntatem extraneam; oportet igitur suscipere in se laborem tanquam securissimum medium placandi divinam justitiam, & nos cum ipsa reconciliandi. Nos concernit, si primam innocentiam baptismalem semel perdidimus, quod de filia babylonis sub figura dictum est; *tolle molam, mole farinam, discooperi humerum tuum* Isa 47. 2. Peccator in ordinem non redigitur, nisi laboret, neque jus habet petendi à Deo veniam peccatorum suorum, nisi postquam cum propheta dicere potest: *vide laborem meum, & dimitte universa delicta mea.* Ps 24. 3. Ad hoc obligati sumus tanquam christiani, quia ut tales imitari debemus Jesum Christum magistrum nostrum, qui à teneris annis in laboribus fuit, *in laboribus fui à juventute mea.* Ps. 87. Verum si

nos consideremus ut clericos, inveniemus, quòd labor obligationis nostræ longè strictioris sit, quàm apud simplicem christianum, quia ex eo tempore, quo Dominus ad statum hunc nunc nos vocavit, misit nos in messem, & vineam suam; *ite & vos in vineam meam*; vult ut fructum afferamus; & quidem abundantem; *posui vos, ut eatis, & fructum afferatis*. Joan. 15. 16 Concredidit nobis curam gregis sui, pro quo totum suum fudit sanguinem; *pascite, qui in vobis est, gregem* 1. Petri 5. 2. Tradidit nobis administrationem, & œconomiam familiæ suæ, & denique milites nos esse voluit, ut generosè pugnèmus & impugnemus vitia, prout Apostolus hoc ipsum nobis indicit, *labôra sicut bonus miles Christi*. Timoth. 2. Omnia hæc diversa officia satis clarè nobis indicant, professionem istam, quam amplexi sumus, vitam aliquam laboriosam esse, & plenam defatigatione. Interim

PUNCTUM II. Si consideremus vitam plurimorum clericorum, putare, quis posset, Deum nos vocasse ad quietem, ad lusus, ad ignaviam; quodque exceptionem aliquam in illa lege, quâ omnes homines laborare tenentur, in eorum favorem fecerit. Pastor es, ubi sunt labores tui, quos exantlasti, ut post ovem perditam curreres, eamque diabolo eriperes. Qui ex vobis dicere poterit Christo Jesu, quando à vobis scire cupit, quos labores pro cura gregis vestri susceperitis, quod Jacob Labano respondit pro grege sibi ab eodem concredito;

diu

diu noctuque æstu urebar & gelu; fugiebatque somnus ab oculis meis, sicque per viginti annos in domo tua servivi. Gen. 31. 40. An vel unum etiam diem cum omni cura & solicitudine applicamus nos ad satisfaciendum pastorali obligationi nostræ! percurre omnes status & conditiones hominum, & nullum invenies sine sua cruce, labore, miseria & sudore; apud solos clericos, ait S. Bernardus in hæc verba: ecce nos reliquimus omnia, *advertere est prudentiam aliquorum, quemadmodum novo artificio discernentes, & ab invicem sequestrantes totum, quod delectat, eligunt, & amplectuntur; quod molestum est, fugiunt, atque declinant.* Dispensant secum ipsis, sine magno scrupulo, quoad omne studium laboriosum, vigilias, jejunia, longas preces, visitationem pauperum & infirmorum, prædicationem, & in omni eo, quod laboriosum & difficile est in ministerio clericali, sunt è contrario valdè & nimium exacti ad colligendos redditus suos, ut lautè & commodè ex iis vivant; ut consanguineos suos ditent, ut debitus eis honor, & statui eorum debita reverentia exhibeatur, cum interea cæteri homines grave illud onus portant, quòd a die nativitatis eorum eis impositum fuit. *Sudant agricolæ, putant & fodiunt vinitores, & inter hæc illi torpent otio, vivunt tritico, bibunt uvæ sangvinem meracissimum; parum est, impinguantur & dilatantur adipe frumenti: madent deliciis* copiosis affluunt otiosi; ità S. Bernardus, ubi supra. An non

fortè similem vitam hucusque duxisti? si hoc, siste te ad pedes altaris, & pete instanter à Deo conversionem per intercessionem tot sanctorum sacerdotum, qui se ipsos sacrificaverunt in ministerio ecclesiastico per vitam quamdam prorsus laboriosam, & sudore plenam; *laboribus plurimis*. Fac dein propositum eos in aliqua re imitandi, ne Christus Jesus, qui hodie salvator & redemptor tuus est, & cras fortè Judex tuus futurus est, contra te sententiam hanc terribilem pronuntiet inutilem servum: *ejicite in tenebras exteriores*. Math. 25. 30.

* * * * * * * * * * * * * *

DIE SABBATHI

Voca operarios, & redde illis mercedem, Math. 20. 8

1 Clerici laborantes mercedem recipient.

2. Otiosi & negligentes confusionem patientur.

PUNCTUM I. Vidimus in præcedenti meditatione obligationem clericorum laborandi in vinea Domini; considéremus modò; quid recepturi sint in fine vitæ, qui fideliter laboraverint; *si vis sustinere laborem, attende mercedem*. S. Aug. in Ps. 36. serm 2. n. 16. Quia caro infirma est, & natura laboriosam vitam refugit, animemus nosmetipsos consideratione hujus magnæ mercedis, quæ nobis reservata est in cœlis: *itaque fratres mei dilecti stabiles estote, immobiles, abundantes in opere Domini semper; scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino*. 1. Cor. 15. 58.

At-

Attende te hic habere laborem ait S. Augustinus in Ps. 93 *sed attende, qualem ille requiem pollicetur; nunquid cogitare potes? si illam cogitare posses, videres te nihil laborare ad compensationem.* Si vita tua mille annos duraret, & omnes illos in continuis laboribus insumeres, & pœnitentiam ageres, nulla esset proportio inter hæc æternæ gloriæ pondus, quàm Deus tibi præparavit. *Quod pateris, transit, finitur,* pergit S. Pater, in Ps. 84 *quod accepturus es, finem non habebit; nolo jam æques pænam cum præmio, temporalia æqua æternitati, si potes. Noli itaque esse piger, laborare breviter, & gaudere incessanter, hæc est requies sempiterna.* Conclusio est S. Patris ibid. Felix ille Dei minister, qui se talibus cogitationibus nutriendo, incessanter curat, ut obligationibus ministerii sui satisfaciat; talis consolationem hanc in hora mortis suæ habebit, ut idem dicere possit, quod S. Paulus ad finem cursûs sui dixit; *bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ* 2. Tim. 4. 7. Sed

PUNCTUM II. Qualis confusio & pudor pro illis clericis, qui vitam suam in otio traduxerunt, & consumpserunt, quando Dominus vocabit operarios suos, daturus eis mercedem promeritam? *voca operarios, & redde illis mercedem.* Nonne nos conducti operarii diurni, & servi, qui expensis ecclesiæ vivimus? ubi est labor noster? ubi est negotiatio nostra? an nos

ipsi

ipsi servum talem remuneraremur, aut solveremus, qui nonnisi manducare, ludere, relaxationi animi vacare vellet per totam diem? nos mercedem petimus, sed ubi sunt opera nostra, vigiliæ nostræ, cursus noster? ubi sunt animæ, quas Jesu Christo lucrati sumus; quilibet evangelicus operarius magno illo resurrectionis die apparebit circumdatus, & sociatus illis animabus, quas Christo Jesu lucratus fuerit, quæque erunt gaudium & gloria ipsius, ait S. Gregorius, S. Andreas Domino repræsentabit Achaiam, S. Philippus Scythiam; S. Joannes Ecclesias Asiæ, S. Thomas in comitatu suo habebit Indos, & S. Paulus nationes totius mundi; quid autem nos nobiscum afferemus? ubi sunt animæ, pro quarum conversione laboravimus? an vel unam talem producere possumus? an non potius quàm plurimæ exsurgent, quibus nos scandalo, & causa ruinæ fuimus, propter vitam nostram mollem, & negligentem; quæque nobis hoc ipsum per totam æternitatem exprobrabunt? nostrum est ducere populum christianum, in veram terram promissionis; & nos torpescimus in otio? an non idem nobis dici, & in faciem objici posset, quod Josue Hebræis exprobrat: *usquequo marcetis ignaviâ, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus dedit vobis?* deplora hic tempus illud, quod infeliciter perdidisti in rebus inutilibus, aut professioni tuæ contrariis; applica te imposterum, majori sollicitudine, ad id omne, quod obligationis tuæ est, *qui in*

la-

labore hominum non sunt; in labore dæmonum profectò erunt, ait S. Bernardus in cant. Serm. 13. Quia ergo nonnisi modici adhuc anni vitæ, tibi supersunt, & tandem ultimæ horæ diei appropinquas; utere diligentiâ, & gressus tuos accelera, ut possis attingere terminum, qui tibi præfixus est; ac recipere mercedem, quam Dominus promisit operariis, qui in vinea sua laboraverint, id est, ad propriam, & ad proximi sanctificationem. Pete à Deo hanc gratiam, dum illi offers in Missa Jesum Christum filium suum. Noli timere, pondus diei & æstûs, hic ipse amabilis salvator tuus, erit protector tuus & tandem merces tua, si pro gloria illius laboraveris: *ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Gen. 15. 1. O Jesu, ô divine salvator! qui ipsemet vis esse merces exiguorum laborum ministrorum tuorum, ego vitam meam in manibus tuis repono, dispone de illa, prout tibi placuerit. Ah vita mea absorpta & abscondita est in te, quemadmodum tu lates sub speciebus Eucharisticis, & ut sacrificio tuo debitum exhibeam honorem, vitam meam in laboribus ministerii mei, & lacrymis pœnitentiæ insumere volo. *Si vis honorare sacrificium, offer animam, propter quam & Christus immolatus*. S. Chrisost. Hom. 60. ad Pop. post med. Tom 5.

DOMINICA EXAGESIMÆ.

Fratres libenter suffertis insipientes, cum sitis

ipsi sapientes; sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit 2. Cor. 11. 19.

DE FALSIS DOCTORIBUS.

1. Magna cœcitas, si veris prœferantur.
2. Unde originem trahat hæc cœcitas.

PUNCTUM I. COnsidera, quàm injustè egerint Corinthii, dum S. Paulo falsos Apostolos, & deceptores operarios prœferebant, prœcisè, quia hi perbenè sciebant, se transformare in Apostolos Jesu Christi, per prœtensam aliquam authoritatem, quam se ab ipso habere jactitabant: *operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.* 2. Cor. 11. 13. Poterantne homines isti incidere in majorem cœcitatem, quàm ut se talibus pastoribus integrè committerent, qui in sua superbia eousque devenerunt, ut eos in extrema servitute & subjectione tenerent, eos deprœdarentur, eorum bona diriperent, imò vel in ipsam faciem cæderent, cum interim sapientissimis consiliis & monitis S. Pauli nec minimum deferrent, qui eos cum omni moderatione, honestate, & possibili charitate regebat, & moderabatur. Non sine causa super hoc obstupescimus, quòd homines ab ipso S. Paulo instructi, ad tales excessus devenerint; nec minimam tamen attentionem, aut reflexionem facimus, plurimos christianos, hunc ipsum modum procedendi, istorum recens conversorum, imitari. Subitò & cum magna aviditate, sicut Corinthii.

audiunt

audiunt illos, qui eis sanam doctrinam prædi-
cant, sed dum fervor eorum sensim deficit, am-
plius illos perferre, & pati non possunt; quærunt
magistros, qui cupiditatibus illorum adulantur,
& tales evadunt, quales prœdixit futuros, A-
postolus, ad suum discipulum Timo. scribens 2.
Ep. 4. 3. *erit enim tempus, cum sanam doctri-
nam non sustinebunt, sed ad sua desideria coa-
cervabunt sibi magistros prurientes auribus.*
Non audiuntur solum tales doctores, cum con-
temptu verorum, sed res magni meriti esse puta-
tur, si quis eis cœcam aliquam submissionem ex-
hibeat, recipiuntur illorum decisiones, tanquam
oracula, & ad exemplum Corinthiorum, tales
superbi homines adorantur, & mancipia nanci-
scuntur. O quanta quamque horrenda cœcitas!
*stupor & mirabilia facta sunt in terra; prophetæ
prophetabant mendacium, & Sacerdotes applau-
debant manibus suis; & populus meus dilexit
talia; quid igitur fiet in novissimo ejus?* Jerem.
5. 30. Deplora hic perditionem tot animarum,
quæ à vera via aberrant, sequendo tales ducto-
res & in 2do puncto inquire causam hujus mali.

PUNCTUM II. Dicere possumus, id exinde
quæ fecit nos amare eos, qui se effrœnibus passio-
provenire. Primo ex corruptione cordis nostri,
nibus nostris non opponunt: *nolite aspicere nobis
ea, quæ recta sunt; loquimini nobis placentia;
videte nobis errores.* Is. 30. 10. En Doctores!
quos mundus quærit. 2do. Provenit hoc, ex
transfiguratione horum ministrorum sathanæ, qui

se

se ad exemplum magistri sui, id est, diaboli transformant in Angelum lucis, in Apostolum JESU Christi; in ministrum justitiæ, prout S. Paulus dicit 2. Cor 11. 14. & 15. Eò facilius inficiuntur aliqui, hoc veneno falsorum istorum Apostolorum, quia hi *operarii subdoli* præbent ipsis potum; ut ita dicam, in phialis aureis, id est, sub apparentia pietatis, reformationis, & modo aliquo quasi insensibili, & inadvertibili, adeò, ut quis priùs infectus hoc veneno sit, quàm advertere possit; *eorum sermo* ait Apostolus, *serpit ut cancer, & sensim, quidquid sanum est, corrumpit*. 2. Timoth: 2. 17. Si perversi manifestè apparerent, quales re ipsa sunt, nequaquam inter bonos recipi possent; ut ait S. Gregorius M. l. 33. in Job. c. 28. *Sed sumunt aliquid de visione bonorum, ut, dum boni viri in eis recipiunt speciem*, quam amant, permixtum sumant etiam virus, quod evitant. 3tio denique provenit ex parvo numero prædicatorum veritatis, & ex modica æstimatione, quam de illa habemus. Pauci sunt in clero, qui hoc præceptum seu ordinationem S. Pauli, quem discipulo suo dat, observent; *tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam*. Tit. 2. 1. Ut hæc sana doctrina prædicetur, quæ sanitatem animabus affert, oportet, ut quis eisdem vitiis non subjaceat, quæ in aliis corrigere prætendit; oportet, ait S. Hieronymus, comment in Epist: ad Tit. non solum nihil contrarium fidei docere, & quod libertati ac dissolutioni faveat; sed insuper

super

super persvadere populo, verbis & exemplo obligationem, quam habeant, ipsum Christum imitandi; *docere, quæ ad vitam pertinent Christi.* Sed pauci sunt clerici, qui tali modo concionantur; & illi, quibus hæc sors obtingit, ut tam fideles ministros inveniant, non semper illam æstimationem & considerationem de illis habent, quam habere deberent; Deus autem, ut hunc neglectum puniat, permittit, ut dein incidant in mercenarios, pastores violentos & superbos, quibus non caret mundus; *pauci pastores, multi mercenarii.* S. Aug. serm. 49. de V. D. Vide nunc, an non aliquo modo, ex istis recensitis, in tam funestam cœcitatem incideris, de quâ hic loquimur? an non eò devenisti, ut bonos sacerdotes & prædicatores denigraveris; ut indignis adhærere possis si pastores sapientes, & directores, tuis perversis moribus se opposuerunt, an non idem dixisti, quod olim Judæi, *nolumus hunc regnare super nos* Luc. 19. 14. Nolumus, ut hic vel ille pastor, vel director nos regat. Si talia non apertè dicis, an non ità sentis in corde tuo? muta hunc tuum modum agendi, & pro præparatione ad communionem vel Missam, roga Deum, ut te præservet à seductione talium falsorum doctorum; utque te securum ab iis reddas, hæc duo media amplectere. 1. Consule Ecclesiam in rebus dubiis, in quibus non es sufficienter instructus, illa enim est, ait S. Augustinus, Epist. 105. n. 16. quam Deus depositariam veritatis constituit; *in cathedra veritatis doctrinam*

posuit

posuit veritatis. Omninò te submitte ejûs dispositionibus. 2. Pro regula morum tuorum, & modô vivendi, sume doctrinam Evangelicam, si fideliter hanc sequaris, non permittet Deus, ut seducaris; *quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos.* Galat. 6. 16.

* * * * * * * * * * * * * * *

FERIA SECUNDA.

Secundùm ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus, in hac parte; in quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. 2. Cor. 11. 21.

DE PROPRIA LAUDE.

1. Quando permissum sit seipsum laudare.
2. Quomodo hoc fieri debeat.

PUNCTUM I. QUia species aliqua vanitatis est, quæ ad insaniam & stultitiam vergere videtur, si quis seipsum laudat sine necessitate, & quod falsi hi Apostoli, qui erant inter Corinthios; in hunc excessum prolapsi sint; sine causa seipsos laudando & extollendo, damnat, seu rejicit S. Paulus hunc modum agendi, ostendendo, quòd nonnisi ægrè & contra voluntatem seipsum laudet, eo quòd præsentes rerum circumstantiæ aliud non permitterent; *factus sum insipiens; vos me coëgistis,* ait ad Corinthios, hinc patet, quòd non ad suum commodum vel utilitatem, de seipso loquatur; sed quia in hoc secum dispensare non posset, faciebat hoc, ut notant SS. PP. & S. Chrys. ibid; quia ad propositum, hoc est, pro bono Corinthiorum;

orum, & pro confundenda temeritate falsorum istorum operariorum, ac verorum sathanæ ministrorum erat, qui unicè in id intenti erant, quomodo apud homines istos noviter conversos, magnam illam ideam, seu æstimationem, quam de Paulo habebant, extinguere possent; quod idem fuisset, ac fidem illam destruere, quam ille tanto cum sudore, ibidem plantaverat, & destruere Evangelium, quod prœdicavit. Prœter hoc necessarium etiam erat, ut magnus hic magister & prœdicator S. Paulus nos doceret, in quibus occasionibus & circumstantiis licitum esset, seipsum laudare, alias, quia adeò ad superbiam propensi sumus, hoc ipsius exemplum, pro regula generali, assumpsissemus, quæ non nisi particularis exceptio erat; quod idem esset, ac manifesto nos periculo exponere, perdendi thesaurum gratiæ, quem nobis eripere non negligunt dæmones, si eum magnâ curâ & solicitudine coram oculis hominum, imò etiam nostrîs propriîs non abscondamus, & occultemus. Occasio itaque, in qua quis seipsum absque peccato laudare possit, illa est, si alias bonum illud destrueretur, aut impediretur,, quod Deus in nobis, & per nos facit; & quando reputatio, seu fama nostra absoluté necessaria est pro bono, & utilitate Ecclesiæ, & fidelium, quod per scandalum impediretur, & everteretur; item quando calumniamur, & malis artibus alii utuntur, ut nos apud alios denigrent: in ejusmodi circumstantiis; ergo, ut ait S. Gregorius Papa l.

19. in Job. c. 14. *sancti viri, cum coguntur bona narrare, quæ faciunt, non elationi serviunt, sed utilitati. Nam qui auditorum utilitatem ante oculos sibi proponit;* juxta S. Chrysostomum in h. l. *etiamsi seipsum laudibus efferat, non modò nullam reprehensionem, sed coronam quoque meretur; imo si tunc tacuerit, in reprehensionem necessario incurret*: Sed in quacunque occasione quis se constitutum videat, seipsum commendandi vel de donis suis, vel de virtutibus, vel de laboribus exantlatis, ut seipsum periculo cujusdam superbiæ non exponat.

PUNCTUM II. Oportet id tali modo facere, prout S. Paulus fecit, nimirum cum eadem difficultate ac repugnantia, cum eadem modestia, eadem cautione. Dum Apostolus seipsum laudat, clarè cernimus, quòd in quodam statu violento se constitutum sentiat, & quasi in terra aliqua aliena, seu peregrina; lingva hæc, seu hic modus loquendi adeò parum ipsi familiaris fuit, ut non dubitet illam appellare, imprudentiam, *in insipientia dico*. Quare hoc? ait S. Chrysostomus, ibid. *quo nimirum nos doceat, rem hujusmodi summoperè fugere*. Et verò, dum Jesus Christus nos docet, postquam *omnia fecimus*, ut nos ipsos *servos inutiles* nominemus, quis excusare illum velit, qui absque omni necessitate seipsum laudaret? hoc est, quod fecit pharisæus in Evangelio & ideo naufragium in portu invenit. Quis unquam credidisset, eum tunc perditum iturum, dum actualiter orationi

vacabat? verùm quia se à vanitate abripi sinebat, se ipsum laudando absque ulla necessitate, navis illius ad hunc scopulum collissa est, & miserabiliter naufragio periit. S, Paulus periculum hoc benè prævidens, & simile infortunium metuens, timet seipsum laudare, in quacunque demum necessitate esset, hoc faciendi; horret hoc periculum, & nominat id ipsum *insipientiam aliquam*. Et hoc ipsum est, quod magna prœcautione hic utendum sit, prout reipsa fecit, dum infinita alia omisit, quæ commemorare poterat, & de iis tacuit. Notarunt prœ cœteris SS. PP. (Chrysost ibid.) quòd nullam mentionem de miraculis à se patratis fecerit, quamquam innumera ferè patraverit; quæque optima probatio fuisset, prœdicationem suam à Deo authoritatem habere; verùm, quia metuebat, ne signum tam clarum & excellens non causaret majorem de se æstimationem, quàm ipse ad propositum facere existimabat, tacuit, & tantum dicebat, se esse Hebræum, Israelitam, & de semine Abraham æquè benè, ac hi falsi Apostoli, qui adeò gloriabantur de hac sua prœrogativa & privilegio. Verè dicit, se ministrum Christi Jesu esse, æquè ac illi imò magìs quàm illi, sed, dum hoc ajebat, adjunxit, se speciem quamdam imprudentiæ committere, & hanc suam prœrogativam non fundari in alio, quàm quòd plus passus sit, quàm ipsi laborando pro Jesu Christo, adeò nimirum verum est, quòd quia ejusmodi laudes humilitati non congruunt,

& contra genium ipsius sunt, ab eis abstineat, quantum potest. Superbi jam inveniunt media seipsos extollendi etiam eo ipso tempore, quo videri volunt seipsos humiliare, humiles verò seipsos deprimunt, quando videntur seipsos velle extollere. An ità te hucusque gessisti? an non te ipsum laudasti absque causa, hujus doctrinæ Sapientis oblitus, *laudet te alienus & non os tuum.* Prov. 27. 2. Et si aliquam rationem id faciendi habuisti, quæsiistine per hoc gloriam Dei, & bonum Ecclesiæ? dicendo cum regio propheta, *ut lauderis cum hæreditate tua*. Ps. 105. 5. Adhibuistinè easdem cautelas S. Pauli? imitatusne es illius modestiam, humilitatem, continentiam? ô quàm longè ab eo aberras? non sis adeò facilis deinceps in laudando, tam activè, quàm passivè, id est, te vel alios, *ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Eccles. 11. 30. Pro præparatione ad Missam; roga magnum hunc humilitatis doctorem, qui ad te venire dignatur, ut tibi gratiam hanc concedat ità contemnendi laudes hominum, ut merearis audire in societate electorum illas laudes, quas ipse Deus illis dabit, *tunc laus erit unicuique à Deo.* 1. Cor. 4. 5.

)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)

FERIA TERTIA.

A Judæis quinquies, quadragenas unâ minus, accepi; ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. 2. Cor. 11. 24.

DE

DE TOLERANTIA S. PAULI.

Debet esse materia 1. humiliationis pro clericis laboriosissimis. 2. Condemnationis verò pro negligentibus & ignavis.

PUNCTUM I. DUm legimus narrationem, quam hic S. *Paulus* de iis, quæ toleravit, affert, totum, quod facere possumus optimum, id est, ut gratias Deo agamus, quòd sancto huic apostolo, tantum animi dederit, ut omnia pro gloria illius in se suscipere, & quælibet tolerare paratus fuerit; item ut confundamur, & erubescamus in consideratione tot, ac tantorum malorum, quæ S. Paulus passus est, & illius modici, quod nos pro causâ evangelii toleramus. Equidem valde magnā habemus causam, & rationem nos humiliandi, quamcunque zelosi nobis ipsis esse videamur; quia totum, quod faciunt sacerdotes, missionarii & pastores etiam strenui, & valde laboriosi, anne in comparationem venire possit, laboribus & tolerantiæ S. Pauli? ipse prædicabat à Jerusalem usque in Illiricum; & hasce vastissimas regiones agnitione Jesu Christi implevit; affligebatur; calumnias & persecutiones mille & mille sustinuit in & ob prædicationem evangelii. Pluries à propriis fratribus suis turpiter cæsus fuit; à gentilibus & paganis, instar rebellis mancipii, virgis castigatus; lapidatus tamquam blasphemus; mari, tempestatibus, omnibus periculis expositus, tanquam vilissimus omnium hominum, laboribus obrutus, defatigatis-

onibus, vigiliis, fame, siti, & frigore vexatus; ad summam miseriam & nuditatem tamquam indignissimus, qui viveret, redactus, quamvis vita ipsius valde pretiosa fuerit coram Deo, quem tanto cũ ardore amavit; & cui tanta cum fidelitate servivit. Quid ad hoc nos dicere habemus? ubi est episcopus, qui conqueri audeat super extensione diœcesis suæ, & laborum, quos in illius visitatione subire necesse sit? ubi ille parochus, qui nimiś extensam putet parochiam suam? quòd nimis grave ipsi accidat administrare sacramenta? invisere infirmos? unô verbô, ubi est clericus laborans, qui legitimè conqueri possit, si, ut oportet, meditetur, ut benè secum expendat, cursus, itinera, labores, & tolerantiam omnigenam S. *Pauli*? interim tales querelæ non sunt nisi nimis frequentes & ordinariæ in ore etiam meliorum pastorum, quia alii minùs industrii non multùm se implicant necessitatibus eorum, qui eorum cura & solicitudine indigerent. Unde ergo querelæ ejusmodi apud meliores orginem habent, si non ex modico zelo, quem pro gloria Dei, & salute animarum habent, in comparatione immensi illius zeli, quo cor. S. Pauli ardebat; & quòd nimiùm adhuc inhæreant commoditatibus vitæ hujus; libenter vellent combinare labores apostolicos, cum sua propria satisfactione, & hoc fieri non potest; sufficit de hoc audire S. *Paulum*, ut quis convincatur; *in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis*

latro-

latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus; periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. En! quomodo & quale servitium sibi ab hoc apostolo Deus expetierit! hoc ipsum à nobis etiam expectat, qui sumus hæredes ministerii illius. Reflexistine te super hoc? verum, si exemplum S. Pauli materia & causa est humiliationis pro pastoribus ferventioribus, & magis laboriosis.

PUNCTUM II. Quam condemnationem in eo non invenient clerici pigri, segnes, & otiosi; quid respondebunt ante tribunal JESU Christi, & in præsentia S. Pauli, qui unus erit ex judicibus illorum, quando illis exprobrabitur, quod vitam suam transegerint, in pigra quadam otiositate, dum interim tot gentes & populi gemunt in tenebris paganismi, & infidelitatis; imo etiam tot inter catholicos, qui vivunt, & moriuntur in ignorantia, & sceleribus suis ex defectu zelosorum ministrorum, qui eos instruant? si ab ipsis peteretur, ut quemadmodum S. Paulus, eant ad portandum lumen evangelii in nationes barbaras, quæ illo nondum illuminatæ sunt, non peteretur ab eis tale quid, ad quod non deberent esse dispositi, & parati; siquidem ministri Christi JESU sunt; & ministrorum ac servorum fidelium est, honorem Domini sui, quacunque ratione id fieri possit, promovere. Neque dicant, quod non possint, S. *Paulus* hoc potuit, & ipsi poterunt ut ipse,

si vel parùm zeli haberent; qui eúm habent, hoc possunt, & faciunt, etiam quotidie, cum multa benedictione. Tales sunt illi episcopi, clerici, ac religiosi prorsus egregii, & excellentes, qui in Indias, in Chinam, in Canadam usque penetrant ad illuminandas illas gentes lumine evangelii, cum magno sanè profectu ecclesiæ, utilitate populorum istorum, & propagatione divinæ gloriæ. Si autem zelus illorum eo usque progredi non potest; saltem laborent pro salute fratrum suorum, quos coram oculis suis mori vident in ignorantia sua, & in vitiis sepultos. An non possunt tradere & exponere catechismum in pagis, infantibus fidelium ? audeantne conqueri difficultate viarum aut injuriâ temporum, quæ quandoque occurrant, quando SS. Sacramentum ad infirmos à se distantes, portant ? si hunc modicum laborem comparent, cum illo S. Xaverii, & tot aliorum sanctorum missionariorum ? erubesce ob præteritam tuam segnitiem; & pro præparatione ad Missam; pete à JESU Christo portionem, & partem aliquam hujus spiritus apostolici, quo S. Paulus, & tot alii sancti sacerdotes animati erant. Ipsa sanctissima Eucharistia, tanquam fornax charitatis est illa; unde ignem, seu hunc suum zelum hauserunt; hæc ipsa igitur sit, unde tuum quoque haurias, quem pro salute animarum habere debes; modò accedas ad illam prout oportet, *Dominus dabit verbum evangelizantibus; virtute multâ.* Ps. 67. 12.

FERIA

FERIA QUARTA.

Præter illa, quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror. 2 Cor: 11. 28.

DE CURA ANIMARUM.

1. Clerici principaliter solliciti esse debent de animabus.
2. Et compati infirmis.

PUNCTUM I. POstquam S. Paulus singillatim enumeravit, quæ sibi in particulari toleranda fuerint, illis adjungit etiam ea, quæ proveniebant à solicitudine pro omnibus ecclesiis. Quia charitas ipsius non habebat limites ideo hoc ipsũ augebat pondus eorũ omnium, quæ alias ipsi toleranda erant, quod etiam capitale illius appellari potest, ait S. Chrisostomus, *illud præcipuum omnium caput.* Hoc erat, quod ipsum torquebat; quòd cor illius lancinabat; quod infinitam illi quasi materiam afflictionum suppeditabat. Si quis se oneratum videt, & gravatum sollicitudine, & regimine unius solius familiæ, seu domûs; si cura unius tantùm parochiæ, si debitam sollicitudinem adhibere vult pastor, eamque fideliter administrare, continuus fons, & origo est inquietudinum, & laborum; si episcopus, quamcunque modica sit ipsius diœcesis, quieti renuntiare debet, si amorem aliquem suorum habet, & propriæ animæ suæ; si gemit sub onere officii adeo formidabilis, & spiritum su-

um ſatis diſtractum ſentit, & quaſi diſſipatum per fluxum & refluxum diverſorum negotiorum, quis exprimat inquietudines. & apoſtolicam ſolicitudinem S. Pauli, illius nempe, cui non ſolum regimen unius familiæ; unius civitatis, provinciæ, regni &c. ſed omnium prorſus eccleſiarum ſollicitudo incubuit; quas non ſolùm in fide ſtabilire, & confirmare, ſed etiam de temporalibus ſubſidiis eis providere curabat; inſtruebat noviter converſos, conſolabatur eos, qui perſecutiones patiebantur; erigebat animos debilium; reprimebat audacias ſcandaloſorum, prædicabat evangelium idololatris? confundebat Judæos; Epiſt: ad Philem. fundabat eccleſias, totas noctes in oratione tranſigebat, vel in laboribus, ut victum ſibi compararet, & liber eſſet ab omni ſuſpicione proprii intereſſe. Ubique eum dæmon primum in acie ſtantem inveniebat; ſolicitudinem ſuam uſque ad infimum mancipium extendebat. En! quid admiratus ſit S. Auguſtinus in S. Paulo, quòdque verè dignum eſt admiratione hominum, & angelorum! *vide qualis ſollicitudo, quàm paterna, quàm materna*! in Pſ. 98 v. 13. diſce exinde, quòd principalis obligatio boni alicujus paſtoris ſit, ſollicitum eſſe pro animabus. Pœnitentiã agere debet inſtar reliquorum Chriſtianorũ, ſiquidẽ æquè peccator eſt, ac illi, & eoſdẽ cum illis inimicos habet: ſed ejuſmodi auſteritates pænitentiales non ſunt maximum illud ſuum apud Deum meritum, ſed cura

ra animarum & solicitudo ecclesiarum ipsi commissarum, *sollicitudo ecclesiarum*, lacrymæ illæ sunt, quas coram Deo pro salute & conversione peccatorum, profuderit, quæ ipsum magnum efficient in regno cælorum. Esnè benè persvasus de hac veritate? facisne ita? potésne dicere ad illos, qui curæ tuæ concrediti sunt, quod S. Augustinus ad populum suum ajebat? *cordis nostri negotium semper estis.* Verùm ut melius adhuc instruaris in materia tanti momenti;

PUNCTUM II. Considera, quòd satis non sit in genere habere quandam sollicitudinem pro salute animarum; oportet in particulari etiam habere magnam compassionem, pro iis animabus, quæ infirmiores & debiliores sunt, hoc est, quod S. Paulus per hæc verba, omni reflexione sanè dignissima, nos docet: *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* poteratne sanctus hic apostolus uti termino magìs expressivo, ut comprehenderemus, hucusque se extenderit excessus doloris sui, si aliquem ex fratribus suis, in afflictione positum, cernebat? *uror*, dicit, totus ardeo, flamma ignis me comburit; idem me depascit, quod fratrem meum affligit. Hoc videtur secundum opinionem SS. PP. excedere omne id, quod hucusque dixit: *quod quidem majus omnibus, & gravius erat.* S. Chrisost. ibid Quamvis alia mala, quæ perpessus est, gravia fuerint, & violenta, nihilominus citò per-

pertransibant, quod cor autem illius discerpebat, id erat, si quis lapsus, aut torpor inter fideles ipsi innotuit; & hoc tormentum experiebatur non tantùm circa illos, qui majoris erant considerationis sed æqualiter, & quoad omnes fideles. Quodlibet ecclesiæ membrum inquietabat ipsum, & tam amare id sentiebat in corde suo, ac si tota ecclesia, in illo solo, inclusa & conclusa fuisset. *Quemadmodum*, ait S. Chrisostomus, *si ipse universa orbis ecclesia esset, sic in unoquoque membro discruciabatur*. Pro minimis etiam suis infantibus, partûs dolores sentiebat, quousque Christus formatus esset in iis, plorabat cum plorantibus, & lacrymas suas cum pænitentium lacrymis conjungebat, imò plorabat cum illis, qui nondum plorabant, secundum id, quod ipse testatur ad Corinthios, 2. Ep. 12. 21. ubi dicit; *timeo ne iterum lugeam multos ex iis, qui antea peccaverunt, & non egerunt pænitentiam.* O charitatem compassivam! quàm paucos invenis tui imitatores! ubi reperiemus clericos, qui vivaciter sentiant spiritualia proximi mala, quique ea lugeant? ubi inveniemus pastores, qui sibi ipsis assumant infirmitates aliorum, quæ tamen principali squalitas est boni pastoris juxta S. Gregorium M. Pastor. l. 2. c. 5 *Sit singulis compassione proximus, ut per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat.* Pro præparatione ad missam; roga Deum, ut tibi talem compassivum affectum, adeo ne-

cessa-

cessarium illis, qui pro salute animarum laborare volunt, concedat, ut satisfacere possis tali statui, ubi tot patienda occurrunt. *Medicus non curat, quidquid audiat à phrænetico, sed quomodo convalescat, & fiat sanus.* S. August. in Ps. 35. v. 12. Et tu fac similiter non cogita defectus peccatoris, sed de conversione illius sollicitus esto; *si amatis Deum*, exhortatur te S. Augustinus in Ps. 38, *n.* 4. *rapite omnes ad amorem Dei: rapite quos potestis, hortando, portando, rogando, disputando, rationem reddendo, cum mansvetudine, cum lenitate.*

(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(

FERIA QUINTA.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 2. Cor. 12. 9.

DE INFIRMITATIBUS.

1. Ad exemplum S. Apostoli complacere nobis in infirmitatibus nostris debemus.
2. Quàm pauci ejusdem cum S. Paulo mentis sunt.

PUNCTUM I. EN! qualē conclusionē S. Paulus deducat ex omnibus istis, quæ de se in ista epistola dixit: *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis* Ecce quomodo apostolus sēper redeat ad ea, quæ patiebatur & ad suas infirmitates, non etiā de iis conqueratur, aut importunè ab iis liberari petat, sicuti

ti frequenter nos facimus, sed ut seipsum humiliet, ut sic inveniat fortitudinem: & gaudium suum, siquidem iis Deus utatur, ad ipsum purificandum, & ut per hæc, victima Deo digna, efficiatur; *ut inhabitet in me virtus Christi.* Verum est, quod obiter etiam mentionem fecerit, revelationum, quas habuit, ne Corinthii illius passionem, ut quid purè humanum aspicerent, sed postquam eas leviter tetigit, non erubescit referre modum prorsus extraordinarium, quo Deo placuisset, ipsum humiliare; *ne magnitudo revelationum,* ait *extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, qui me colaphizet.* ibid, v. 7. Bone Deus! quàm grave pondus, ne hic sanctus in altum se levare posset! quàm horribile remedium ad impediendum lethalem superbiæ morbum, quàm humilians tentatio pro apostolo angelis puriore. Discamus exinde, nullam esse infirmitatem, quæ nobis non possit esse proficua, si ea ratione uti illa sciremus, prout S. Paulus: in aliis Dei donis, timenda est superbia, sed effectus naturalis afflictionum, & aliorum malorum est, ut nos humilient sub manu Dei, ut in nos ipsos descendamus; nihilum nostrum agnoscamus; de viribus nostris diffidamus, & continuam necessitatem nostram, pro auxilio ad Deum recurrendi, fateamur; *propter quod,* pergit *S. Paulus, placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, necessitatibus, in angustiis pro Christo.* De talibus majori gu-
stu

ſtu & gaudio loquitur, quàm de cæteris favoribus & gratiis à Deo acceptis. Ecce linguam, ſeu loquelam hujus apoſtoli, imitare illum, ut non ſinas te excœcari à nimio illo ſplendore, qui ordinariè è functionibus miniſterii tui emicare non ſolet. Mi Deus! qui S. Paulum tam profundâ humilitate repleſti, ut ſingulari gaudio afficeretur, in & ex omni eo, quo vel maximè humiliabatur, fac, ut ego ad exemplum illius, gaudium inveniam in infirmitatibus meis; & ut, depoſitis falſis ideis, & falſa opinione, deprehenſis meis meritis, aliud deinceps, præ oculis meis non habeam, niſi magnitudinem tuam, & nihilum meum; *omnis propria reputatio, omnis æſtimatio, quantulacunque minima in valle nihileitatis meæ ſubmergatur, & pereat in æternum.* de imit. Chriſt. l. 3. c. 8. Pete hanc gratiam per interceſſionem S. Pauli, &c.

PUNCTUM II. Conſidera, paucos eſſe inter clericos, qui hanc cum apoſtolo conſvetudinem habeant arripiendi infirmitates ſuas tanquam occaſionem humiliandi ſe, & evitandi tentationem ſuperbiæ adeò periculoſam, adeò communem & ordinariam, etiam inter eos, qui devotionem & pietatem profitentur. Hoc ex te ipſo judicare poteris, quin neceſſe ſit, ad alios te reflectere. Quid ſentis de tuis infirmitatibus, debilitatibus, & miſeriis? an non triſtis, imò tam amaro in iis animo fuiſti, ut etiam contra ordinem divinæ providentiæ murmura-

muraveris? tantū abest, ut Deū laudaveris an nō sollicitus fuisti, quomodo eas occultares? cū illas cū gaudio suscipere debuisses, tanquā occasiones te ipsum humiliandi, dicendique cum propheta; *bonum mihi, quia humiliasti me, discam justificationes tuas.* Ps. 118. An non omninò ægerrimè sensisti defectus illos naturales, aut imperfectiones Corporales, quæ te in oculis hominum contemptibilem reddiderunt? non considerando, quòd Deus sæpiissimè sanctos, quoad exteriora quædam mancos, & defectuosos esse voluerit, ut hæc miseria corporalis illis serviret pro æquipondio illorum excellentium donorum, quibus eos condecoravit? ipsa nobis scripura dicit, Moysen legislatorem populi hebraici tardioris lingvæ, & Eliam admirabilem hunc prophetam, formæ absurdæ & minùs gratæ fuisse, totumque pilis coopertum? an non ipse S. Paulus hic, & in cap. 10. hujus epistolæ de se ipso testatur, quòd externa corporis sui constitutio: parùm spectabilis & consideratione digna fuerit, *facie humilis inter vos?* 2. Cor. 10. sed sancti isti adeò non affligebātur hac minùs grata, & despicabili sua corporali constitutione, ut potiùs Deum, quid per illum intenderet, aspexerint & consideraverint. Imitatùsne es illos? si te ipsum examinare velis super puncto tam delicato, à quo te amor tuus proprius mille viis abducere scit; facilè invenies te nondum sincerè cum S. Paulo dicerè posse: *libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Pro

præpa-

præparatione tua ad Missam, pete à Jesu Christo per omne id, quod pro te facit in sanctissimo hoc sacramento, ut concedat tibi hanc magnam virtutem humilitatis, quæ in eo consistit, ut in nihilum nostrum nos ipsos immergamus, ex eoque nunquam exeamus: & tunc dicere poteris cum regio propheta: *ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* 2. Reg. 6.

FERIA SEXTA.

Est autem hæc parabola: semen est verbum DEI. Luc. 8. 11.

DE VERBO DEI.

1. Qui nam ex illo proficiant.

2. Examen, an ex eorum numero nos quoque simus.

PUNCTUM I. NOn est necesse, ut sensum parabolæ istius quæramus. siquidem ipse DEI filius, hanc nobis gratiam fecit, ut eam explicaret, & illius intelligentiam ac sensum nobis aperiret. Comparat se agricolæ, qui exiit seminare semen suum. Pars hujus seminis cecidit super viam, & pedibus prætereuntium conculcata, vel à volucribus cæli absumpta: alia pars cecidit in terram petrosam, ubi exaruit; tertia pars cecidit in spinas, quæ illam crescere impedierunt, & suffocaverunt; denique alia cecidit in terram bonam, & fructum attulit. Declarat pariter hoc semen mysteriosum, aliud non esse, nisi verbum Dei, quod ministris suis prædicare injunxit:

semen

semen est verbũ Dei. Et per has tres terras infructuosas abusũ nobis demonstrat illius. Aliqui id recipiunt ad instar viæ amplæ & publicæ, & sunt, qui animum distractum habent, omnibus cogitationibus & adventantibus & abeuntibus aperti & patentes; volo dicere, mille vagabundæ cogitationes, quæ veniunt & recedunt, liberum apud illos transitũ habent, quãprimũ ejusmodi homines verbũ Dei audiunt *venit diabolus, & tollit verbũ de corde eorũ, ne credentes salvi fiant.* En primum astum, quo dæmon utitur, salutis nostræ inimicus, ne divinum hoc semen radicem capiat, in corde audientium, illud obsidet, illos ingenti turmâ cogitationum vanarum, inutilium, & quandoque etiam de rebus bonis, de quibus tamen cogitare, tempus ibi non est, ut eos deflectat à doctrinâ eorum necessitatibus congrua, quæque illis utilis foret, si se, ut oportet, illi applicarent. Alii similes sunt terris illis petrosis; seu animæ leves, quæ revera videntur cum gaudio recipere verbum Dei, producunt etiam aliquot herbas; bonas quasdam, & pias cogitationes, sensum aliquem devotionis, aut pœnitentiæ &c. Verùm, eheu! in omnibus his nulla soliditas, nulla radix, nihil firmum est; statim ad primum calorem, tenera hæc herba emoritur, id est, ad primam tentationem, quæ exsurgit: à qua incalescunt, totum, quod antea de Deo gustaverant, evanescit, & nullum fructum affert: *natum aruit, quia non habebat humorem.* Tales erant

Judæi,

Judæi, qui admirabantur doctrinam Christi, sed dein recedebant ab illo, quin alium fructum retulissent; *sermo meus non capit in vobis.* Joann: 8, 37. Denique per spinas, in qua aliqua pars seminis cecidit, oportet: intelligi illas animas, in quibus omnia peccata tam copiosè noxias herbas produxerunt, ut divinum hoc semen ab iis penitùs fuerit suffocatum; vel homines illos, qui centum negotiis & curis caput suum plenum habent; & mille alia negotia tractant, ut vacare non possint salutis suæ negotio; inquietudo divitiarum; tumultus confluentium rerum spinæ sunt, quæ semen Dei impediunt, ne afferre possit fructum; *& simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.* Ingemisce hic super hoc stupendo abusu verbi Dei, quæ injuria divino magistro huic! ipsum ne quidem audire velle an non mererentur, ut talem contemptum illorum puniret, silentiô & subtractione verbi sui? & ut id exequeretur, quod nobis per os Sapientis, dici voluit; *ubi auditus non est, non effundas sermonem* Eccles. 32. 6. Quia autem non sufficit, ut hunc abusum in aliis deplores, vide insuper, utrum non ipse eidem subjaceas?

PUNCTUM II. Examina, ad quamnam sortem terræ ex prædictis, dispositio cordis tui, auditione verbi divini, reduci possit? cui conformior sit, an non unus ex illis viis latis & spatiosis, id est, animabus distractis & dissipatis, quæ nullam attentionem afferunt ad ea,

quæ

quæ illis bona & ad salutem utilia dici possunt; quique etiam talia irridere audent, iis certè similes, de quibus propheta Ezechiel? *audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos.* Ezech. 33. 31. Fortassis ex illis es, qui in quodam seminario, vel alia communitate clericorum vivis, quam considerare possumus ut agrum, *cui benedixit Dominus.* Gen. 27. 27. Et *in quem descendere facit imbrem matutinum & serotinum.* Joel 2. 23. Quot ibi habentur conferentiæ, colloquia spiritualia, instructiones sanctæ? quomodo ejusmodi interes? spiritu prorsus distracto, qui nonnisi de rebus nauci cogitat, & nullum gustum ad res divinas habet? *anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Num. 21. 5. An non es ex illis levibus & inconstantibus, in quibus verbum Dei radicem capere non potest? qui initio cum gaudio illud recipiunt? postea à passionibus suis impediti, veritates salutis oblifcuntur, neque illas in tempore tentationis, iterum revocare & implantare possunt animo suo, ubi vel maximè iis indigerent? *supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ps. 57. Non es denique similis campo spinis repleto? an non inquietudines hujus sæculi in te prævalent? an non amor divitiarum, voluptatum, honorum hujus mundi, ad talem excessum in te excreverunt, ut verbum Dei in te suffocent? adeo ut impetum hunc amplius sustinere non valeas, vivere velis secundum

pra,

propriam phantasiam, ut proprius filius Belial, sine jugo, sine regula, sine disciplina, sine scientia obligationis tuæ? *filii Belial sine jugo, nescientes officium sacerdotum ad populum.* 1. Reg 2. 13. O quot sunt clerici, qui verbo Dei abutuntur, vide an non ex illorum numerosis? an non ex illis incredulis sis, de quibus loquitur apostolus, *non profuit illis sermo auditus, non admistus fide ex iis, quæ audierunt.* Heb. 4. 2. Ut hoc malum evites, frequenter te reflecte supra id, quod SS. PP. nos docent. quòdque tibi hodie pro præparatione ad Missam servire potest; *verbum Dei non minus est, quam corpus Christi,* S. Augustin: hom alias 26. inter 50. nunc. serm. 300. in append. Quantam sollicitudinem adhibes in altari, ut vel minimas particulas, seu fragmenta hostiæ consecratæ colligas? fac idipsum respectu verbi Dei; noli perdere vel unicam particulam, collige totum; omnia ad profectum tuum trahe, & in corde tuo conserva ad exemplum Beatissimæ Virginis, de qua evangelium dicit: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Luc 2. 19.

* * * * * * * * * * * * * * *

DIE SABBATHI

Quòd autem in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono & optimo, audientes verbum, retinent, & fructum afferunt in patientia. Luc. 8. 15.

DE VERBO DEI.

1. Diſpoſitiones, quas ad auditionem verbi Dei afferre oportet.

2. Fructus, quos producit in corde benè diſpoſito.

PUNCTUM I. ADoremus Dominum noſtrum Jesum Chriſtum docentem nos per iſtam terram bonam, in quam cecidit ſemen, illas diſpoſitiones, quas afferre oportet; ut fructum ex verbo Dei referamus, nimirum debemus illud *audire*, illud *meditari*, illud opere ipſo *exequi*. Oportet 1. *Audire* illud cum reverentia, & attentione, ſiquidem Deus ipſe eſt, qui nos per illud inſtruit, *qui vos audit, me audit*. Luc. 12. 16. Prædicatores, qui nóbis verbum Dei annuntiant, nonniſi locum tenentes, legati, & miniſtri illius ſunt; *pro Chriſto legatione fungimur*, ait S. Paulus 2. Cor. 5. 20. *tanquam Deo exhortante per nos*. Miſſi ſunt, ut nos inſtruant, in negotio omnium maximo, quale eſt negotium ſalutis, & ipſi loquuntur *ex ſinceritate, ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur*. An ergo illis attentionem noſtram denegare poſſimus? an non merito id ipſum nobis exprobrari poterit, quod olim Chriſtus JESUS Judæis? *qui ex Deo eſt, verbum Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*. Joan. 8. 47. 2 Non ſufficit tantùm *audire* verbum Dei; oportet illud etiam *meditari*, in corde verſare, & exinde devotionem ac pie-

tatem

tatem nostram nutrire, *ponite in cordibus ve-stris*. Luc. 9. 44. Fundus, in quo fructificare possit, cor nostrum est, oculi nostri, non nisi apparentia vident; aures non nisi sonum percipiunt; lingva non nisi verba pronuntiat; memoria non nisi operimentum illius est; solum cor nostrum cista depositaria est hujus divini verbi, cor est, quod illud adorat, gustat illud, illud meditatur; hic debet à nobis includi; prout fecerunt omnes illi, qui cum Propheta regio illô usi sunt tanquam armis, & pro defensione suâ, contra peccatum; *in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* Ps. 118. 3. Denique oportet illud *exequi*; *estote factores verbi, & non auditores tantùm*, ait S. Jacobus cap. 1. 22. & ipsemet etiā salvator docet nos, tūc nos futuros veros discipulos suos, si verbo Dei adhæreamus, *si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis*. Joan: 7. 31. Manere autem in sermone ejus, & adhærere verbo Dei, non est tantùm simpliciter illud *audire*? illud *laudare*, illud meditari oportet, illud applicare necessitatibus nostris; id exequi, quod nobis ordinat; & verbum Dei habere, pro norma & regula vivendi. Felices illi, qui hoc pretiosum semen, taliter dispositi recipiunt; *beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*: Luc. 11. 28. fructum enim centuplicatum exinde percipient.

PUNCTUM II. Nihil efficacius est verbo Dei; sicut *imber descendit de cælo, & inebriat*

briat eam. If. 55. 10. ità erit verbum, quod egreditur de ore meo, ait Dominus, non revertetur ad me vacuum; sed faciet, quæcunque volui; & prosperabitur in his, ad quæ misi illud; & propheta regius ad ostendendam vivacitatem illius, comparat illud cum igne; *ignitum eloquium tuum vehementer.* Pf. 118. Nihil melius hac comparatione afferri potest, ait S. Ambrosius in Pf. 118 quia nil magis *mundat, illuminat, accendit audientes.* Meditemur parumper hæc tria verba. *Mundat.* Nonne verbum Dei est, quod nos ab imperfectionibus nostris purificat? quod reformat, in nobis id, quod defectuosum est? quod corrigit peccatorem? convertit impium? quod impudicum, castum? ebriosum temperantem? avarum, misericordem &c. reddit? *Lex Domini immaculata convertens animas*? pf. 18. *Illuminat.* Confert nobis cognitionem & agnitionem obligationum nostrarum; & facit, ut eas exactè exequamur. Non est lumen magis aptum ad nos conducendos, quàm fax ista; sensus nostri nos decipiunt; sæpè passiones nostræ excæcant nos; ipsa ratio à tempore, quo per peccatum obscurata fuit, non est dux securus & fidelis; errores decumani, in quos veteres philosophi & gentiles inciderunt, non sinunt nos de hac re dubitare. Si ergo volumus laqueos illos, quibus plenus est mundus, evitare, declinare præcipitia, & tenebras, quæ circumstant, oportet, ut ad lumen hujus facis ambulemus;

hòc.

hòcque ipsum est, quod nos propheta docet, dum ait. Ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Accendit.* Quot corda verbum hoc in ore apostolorum non accendit? quot millia hominum sic traxerunt ad Jesum! sed necesse haud est, adeò in longum ire, ad ostendendam efficaciam divini verbi, omnia sæcula ecclesiæ nostræ satis exemplorum quoad hoc, nobis suppeditant. Per hoc medium Bonifacii in Germania, Augustini in Anglia, Xaverii in Indiis, & tot alii viri apostolici, extenderunt limites regni Domini nostri Jesu Christi, per lucra, quæ Deo fecerunt, in diversis partibus, quæque incrementum sũmpserunt diversis temporibus per Norbertos, Dominicos, Antonios Padvanos, Vincencios Ferrerios, Thomas Villanovanos, Carolos Borromæos, & alios ejusmodi sanctissimos viros, qui facem christianismi vel extinctum, vel à prima sua puritate declinantem, restituêre, per prodigiosas mutationes, quas concionibus suis effecerunt. An non adhuc hodie videmus, quãta mirabilia Dei verbum operetur, vel in animabus per peccatum mortuis, quas resuscitat, vel tepidis, quas calefacit, vel ignorantibus, quas instruit, & obligationum suarum admonet, vel justis, quis ad perfectionem provehit; fortè in nullis minùs fructificat, quam in ipsis clericis. Unde hoc? nisi ex modica, vel nulla eorum dispositione, quam ad id audiendum afferunt. Pro præparatione ad Missam; omni-

me-

meliori modo te ad id dispone; dic ad Dominum, ut propheta Samuel: *loquere Domine, quia audit servus tuus.* Agnosco Domine, quòd per distractiones & voluntarias evagationes meas, pretiosum hoc semen, infructuosum reddiderim, quod in corda nostra jacis. Surdus eram ad vocem tuam; averti sæpius faciem meam à veritatibus, quas mihi annunciari fecisti; verùm resolutus sum imposterum, melius me ad id applicare, & majori solicitudine illud ad bonum meum convertere; audiam majori attentione, docilitate, & submissione, quod tibi placitum fuerit, me docere, vel ut mihi dicatur per ministros tuos; nunquam ampliùs tam indifferens, tam insensibilis ero quoad honorem, quem mihi exhibes, dum mihi voluntatem tuam indicare dignaris; *loquere Domine, quia audit servus tuus.* 1. Reg. 3. 9.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Si lingvis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 1. Cor, 13. 1.

DE CHARITATE.

1. Excellentia illius & necessitas.
2. Æstimatio, quam de illa habere debemus.

PUNCTUM I. S. Paulus in hac epistola longum & magnificum charitati texit elogium, deberetque sanè nos

convincere id, quod apostolus iste in 3tiū usque cælū raptus affert de illius excellentia & necessitate: lingvâ angelorū loqui, prædicere futura penetrare mysteria obscurissima, habere scientiā universalem, fidem, valentem transponere montes; distribuere omnia sua in pauperes, exponere corpus suum tormentis, usque ad passionem martyrii, absque dubio res magnæ sunt. ait S. Augustinus. serm. 50 de V. D. *illa quidem magna sunt, sed si ego hæc*, inquit. *sine charitate habeam, non illa, sed ego nihil sum.* Vide, quemadmodum hæc charitas necessaria sit, pergit S. P. venitur ad tormenta etiam crudelissima; ad actiones planè heroicas, & tamen sine charitate nihil sunt? *adde charitatem, prosunt omnia; detrahe charitatem, nihil prosunt cætera.* ibid. Et verò, quid utilitatis habuere tot peccatores ex donis etiam excellentibus, quibus abusi sunt? quid profuit Salomoni intellectus tam vastus & tam extraordinarius? tam profunda scientia secretorum naturæ? illa sapientia, quæ illum in terra admirabilem fecit, si cum omnibus istis mortuus est sine charitate, quin sinceram & solidam egerit pœnitentiam? quid utilitatis attulit Tertulliano; scripsisse apologiam pro nostra religione contrà paganos? quid? subministrasse arma æquè fortia ac splendidà contrà hæreticos, si ecclesiæ unitatem, schismate suo; laceravit ? quē fructum habent hodierni protestantes ex prætensa intelligentia lingvæ chaldaicæ, græcæ ? ex

lecti

lectione continua sacrarum scripturarum, si quidem charitate privati sint, quæ inveniri non potest, nisi in sola ecclesia Jesu Christi, ut ait S. Augustinus ep. 61. n. edit. ad quid nostra ipsa studia? si ea ad amorem Dei non transferamus, ut idem ait l. 3. de doctr. Christ. c. 10. *Ille tenet, & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.* Disce ex hoc æstimationem, quam de hac virtute habere debes, & ut de ea excellentiorem adhuc tibi somniare possis ideam.

PUNCTUM II. Considera, quòd charitas regina sit omnium virtutum, quæ omnibus aliis & pretium dat, & meritum; *major autem horum est charitas.* Anima est, & principium omnium nostrorum bonorum operum, quæ illa, & accepta Deo, & meritoria cælis reddit; sine illa sumus pauperrimi; cum illa ditissimi, quia ipsum Deum per illam possidemus: ut ait S. Joannes 1. ep. 4. *Deus charitas est: qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Character est filiorum Dei, per quem electi à reprobis discernuntur: *dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli.* S. August: tr. 5. in 1. Joan. epist. Oleum est, quod in lampadibus nostris habere, & vestis nuptialis, quâ induti esse debemus, si ad nuptias introire cupimus. An plura requiris, ut virtutem hanc divinam æstimes? quàm ut scias ipsam esse, quæ animas beatas in cæ-

lum adducit, & in qua beatitudo æterna sanctorum consistit? *charitas nunquam excidit.* Pete à Deo instanter hoc grande donum charitatis, quæ tam necessaria est omnibus Christianis; specialiter autem clericis; ignis nimirùm ille est, quem Jesus Christus venit mittere in terram, & testatur se nil magis desiderare, quam ut corda discipulorum suorum illo inflammentur. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Luc. 12 49. virtus hæc est, quam Spiritus S. adeò commendat in apocalysi cuidam episcopo, ut eam emat, sub figura auri igniti; & in igne probati, *consulo tibi, ut emas à me aurum ignitum.* Denique magna & principalis est virtus omnium sacerdotum & pastorum; sine qua frustra nomen suum portant. *Sine charitate*, ait Petrus Blessensis, tract de charit. c. 1, *nihil es; sine charitate sacerdos dici potes; esse non potes.* Omnem igitur conatum adhibe, ut eam obtineas, neque cessa illam petere à Deo; *charitas ex Deo est*, ait S. Augustinus epist. 238. nov. edit. *oremus ergo, ut ab illo detur, à quo jubetur.* Dona nobis Domine tuum sanctum amorem; dona nobis tuum sanctum Spiritùm, per quem charitas tua diffusa est in cordibus nostris, ut illam possidendo, eo modo tibi serviamus, qui tibi gratus sit, & qui nobis æternam nostram procuret salutem. *Diligam te Domine virtus mea, diligam te Domine, per quem fortis sum.* S. August. in Ps 17.

Pro

Pro præparatione ad Missam, frequenter elice actus amoris erga Deum, & JESUM Christum filium ejus. Sanctissima Eucharistia, prout de illa loquuntur SS.PP. ignis ille est, qui nos consumere debet. Carbo ille est ignitus, qui purificavit labia prophetæ. Sume illum tam sancte, ut ab altari totus inflammatus Dei amore, & dæmonibus terribilis recedas. *Tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* S. Chrisostom. 61. ad pop. antioch.

(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(

FERIA SECUNDA.

Charitas patiens est; benigna est, &c. 1. Cor. 13.

DE SIGNIS CHARITATIS.

1. Quænam illa sunt.
2. Examen, utrum illa quis habeat.

PUNCTUM I. QUamquam nullus hominum certò scire valeat in hac vita, utrum in charitate sit, dantur tamen certa signa, ex quibus sine præsumptione; quis judicare valeat se pretioso hoc dono à Deo donatum esse, & ecce! qualia sint hæc signa ex S. Paulo, explicabimus illa, quantùm ad clericos. *Charitas patiens est.* Charitas *patiens* est in iis, qui se statui ecclesiastico mancipare volunt, ut vel ipsa etiam momenta hoc perficiendi patienter exspectent: Scit talis, quòd cupiditas, quæ non nisi moti-

bus

bus inordinatis agitur, inquieta sit; charitas
autem, quando etiam putat vel judicat ad-
esse vocationem DEI, bene scit, quòd *hære-
ditas, ad quam festinatur in principio, in no-
vissimo benedictione carebit.* Prov. 20. 21.
Hinc subdiaconus & diaconus charitate ple-
nus, ad literam observat interstitia à SS. Ca-
nonibus præscripta, ut quis ab inferiori gradu
ad superiorem ascendat; non festinat apporta-
re fructum, sed in tempore suo; & in illis,
qui jam sunt in sacro ministerio, efficit chari-
tas, ut omnia onera officii sui absque querela
portent; & dùm pro salute animarum labo-
rant, id observent, quod Paulus iis præscribit.
2. Timoth: 4. 2 *argue, obsecra, increpa in
omni patientiâ. Benigna* est charitas, quia in-
separabilis est ab humilitate, quæ est fons &
radix veræ mansvetudinis & pacis internæ seu
benignitatis: nescit illa alicui contradicere;
ego autem non contradico, retrorsum non abii.
Is. 50. 5. Verùm est, quòd charitativus pa-
stor sæpius obligetur, ut ovibus errantibus
indignetur, sed eo ipso tempore, quo magis
commotus videtur, conservat intus dulcedi-
nem, & compassionem talem erga peccato-
rem, ut explicari haud possit *O quomodo mul-
cet, quomodo plangit, quomodo condolet, quomo-
do condolet, quomodo consolatur quot argumen-
ta pietatis; quærit, ut erigat desolatum!*
ait S. Bernardus *Non æmulatur* charitas; o-
ptat omnibus, ut benè illis sit, æquè amat
dona

dona, & gratias in proximo suo, ac ipsa possideret talia, perinde ipsi est, per quem Christus annuntiatur, modò nomen ipsius innotescat; si audit labores aliorum, & bonos successus illorum, benedicit Deum, & de iis tamquam de propriis gaudet. *Hæc* erat causa, cur S. Bernardus ita dixerit ad Gvilhel. Abbat. *requiris à me; cur, cum omnes ordines laudem, omnes non teneo? laudo enim omnes, & diligo, ubicumque pie & juste vivitur in ecclesia. Unum opere teneo, cæteros charitate, faciet autem charitas (fidenter loquor) ut ne illorũ quidẽ fructu fraudet, quorũ institutum non sequor. Non agit perperam* charitas; nec temere, nec præcipitanter agit. Clericus, in quo illa regnat, sapiens, prudens, & circumspectus erit in negotio Dei; sua autem non nisi cum reflexione & maturitate peragit; pro aliis nil agit, nisi cum mensura & juxta ordinationem, quia semper attendit ad gloriam Dei, & ut voluntas Dei impleatur, & ita dicere potest cum propheta regio; *super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi. Non inflatur* charitas; non tumescit superbiâ. Clericus, qui eam possidet, ut verbis prophetæ utar, *ponit in pulvere os suum, si fortè sit spes.* Thren. 3. ut aliud non videat, quàm miseriam & nihilum suum; & si Deo placeat, eo uti ad quoddam opus conspicuum, subitò recordatur præcepti, quod Christus JESUS apostolis suis dedit: *cùm feceritis omnia, quæ præ-*

ceptæ

cepta sunt vobis, dicite; servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. Non est ambitiosa. Minister Domini, qui hanc virtutem sibi commendatam habet, fugit honores mundanos; eligit potiùs abiectus esse in domo Dei sui, quàm ut se ipsum elevet ad officia & dignitates; ultimum locum, tanquam centrum suum, considerat, oportet violentiam illi inferre, ut exinde extrahatur, & ad gradum sublimem promoveatur, quia semper indignitatem suam præ oculis habet, & continuò sibi hæc verba Sapientis applicat: *quid superbis terra & cinis?* Eccles. 10. 9. *Non quærit, quæ sua sunt.* Charitas proprium suum interesse; seu commodum non quærit, nisi gloriam Dei, & utilitatem proximi: sive prædicet, sive audiat confessiones, sive aliud simile exequatur in ministerio suo; dicere potest cum S. Paulo. 2. Cor. 12. 14. *non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos. Non irritatur.* Nemini offensa est charitas, reprimit omnes motus iracundiæ & vindictæ; & pacem, quantum fieri potest, conservat, etiam cum ipsis pacis inimicis; *cum iis, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Ps. 119. 7. *Non cogitat malum.* Omnia in bonum interpretatur, & Deo relinquit judicium in homines exercendum, dicendo cum propheta regio; *justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Ps. 118. *Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati:* tota fascinata & absorpta est in amore boni ordinis, justi-

justitiæ & veritatis, dicendo cùm apostolo: *non enim possumus aliquid adversùs veritatem, sed pro veritate. Omnia credit, omnia sperat omnia sustinet.* O Domine! quis poterit comprehendere pretium excellentissimæ hujus virtutis.

PUNCTUM II. Fac nunc reflexionem super ista signa & effectus charitatis, quos S. Paulus refert, & vide, utrum illa regnet in te? esne patiens? submissus ordinationi, divinæ providentiæ? sufferendo injurias & contumelias, quin irritari te patiaris? imò ut etiam bonum pro malo reddas? esne sine invidia erga proximum tuum? non indignaris, si quis tibi præferatur? si bona, dona, talenta, officia & alias prærogativas possideat, quas tu non habes? an non mancipium es hujus vilis passionis, quæ ex felicitate aliorum suam sibi miseriam, & supplicia accersit? esne sapiens, prudens, circumspectus in tuo modo agendi? consulisné in tuis dubiis & intricatis negotiis, spiritum Dei, qui complacet sibi in eo, ut mansvetis & charitativis succurat *diriget mansvetos in judicio docebit mites vias suas.* Ps. 24. Esne humilis & sine ambitione, parvus in oculis tuis, eousque, ut te infra omnes, utut despicabiles videantur, demittas? esne persvasus de hoc, quòd, si charitas via sit ad perfectionem, humilitas viam hanc nos ambulare doceat? *nihil excelsius viâ charitatis, & non in illa ambulant nisi humiles,* ait S. Augu-

Augustinus in Ps. 1. l. 1. n 7. An non nimium adhæres proprio tuo interesse? imò etiam proprio tuo judicio? non te reflectendo, quòd clericus aliud respicere, vel quærere non debeat; nisi interesse, seu utilitatem Dei & ecclesiæ? an non ex illis suspiciosis unus es, qui de omnibus judicant, & quœlibet in malum interpretantur? *facti judices cogitationum iniquarum*, ut S. Jacobus ait c. 2. 4. Habesne vivam fidem, magnumque amorem pro veritate & justitia? animosam spem? patientiam, quœ inter injurias probata sit? & male tractari sustineat? ah! si te examines benè per talia signa, non nisi valdè modicum de charitate in te invenies. Pro prœparatione ad Missam; pete à Deo veniam, ob modicum amorem tuum, quem erga illum hucusque habuisti. Offer illi Jesum Christum in sacrificium, ut ità ei reddas, omnem illum amorem, quem ille meretur, & quem illi debes. Et pro gratiarum actione, tam bonas cape resolutiones, ut ignis iste divinus, quem recens sumpsisti, consumat in te, quidquid debile, & imperfectum est. *O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingveris, charitas, Deus meus accende me.* S. Aug: conf, l. 10. c. 40. Domine Deus meus, cui omnia possibilia sunt, resolve glaciem cordis mei; redde illud amore tui accensum & ardens; nil tam durum sit, quod virtuti & afficaciœ amoris tui non cedat! *nihil est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne*

vin-

vincatur. S. August: de mor. Eccl. l. 1. n. 4.

FERIA TERTIA.

Respice, fides tua te salvum fecit. Luc. 18. 42.

DE EXCESSIBUS BACHANALIORUM.

1. Cœcitas Christianorum hoc tempore.
Quid clerici facere debeant.

PUNCTUM I. EVangelium, quod nobis ecclesia ad meditandum proponit his tribus diebus, considerari potest, ad instar repaguli cujusdam salutaris, quo hæc sancta mater utitur, ut excessus illos cohibeat, quos major pars filiorum suorum, hoc tempore, quasi impunè committere solet. Prædicit in illo Christus apostolis suis, principales circumstantias passionis suæ; cujus memoria seu recordatio, si illam debito modo haberemus, meritò omnium stultitiarum hujus mundi oblivionem nobis ingerere deberet, & eorum locò, excitare in nobis, illum sensum pietatis, ex quo S. Augustinus in Ps. 15. ità scripsit, *bibant alii mortiferas voluptates, portio calicis mei, Dominus est.* Appropinquans deinde Salvator civitati Jericho, sanavit pauperem cœcum, qui sedebat secus viam cujus miserabilis status, imago est expressa status tot peccatorum, qui non vident necessitatem, quam habent agendi pœnitentiam, quique, cùm deberent se per exercitium bonorum operum præparare ad sanctè transigendum

dum tempus quadragesimale, aliud non cogitant, quàm lusus, jocos, delicias, voluptates, recreationes, relaxationes &c. Aperi oculos tuos supra illorum cœcitatem; *respice*, vide, & considera, quantum divinus magister tuus offendatur hoc tempore, quòd à mundo tempus bacchanaliorum appellatur. *Respice*, vide multitudinem hanc insensatam, qui se excessibus intemperantiæ immergunt; qui characterem bestiæ assumunt; qui se in manus apostatæ angeli consignant, ut in eis imaginem Dei corrumpant, eàmque ad ultimum usque lineamentum deleant. *Respice* ex alia parte angelos pacis, qui amarè flent super omnibus istis abominationibus, & junge te huic parvo numero animarum, ac fidelium christianorum, qui se ad adorandum sanctissimum Sacramentum conferunt, dum alii interim se à passionibus suis abripi sinunt, *Respice*, vel potiùs ora Jesum Christum, ut tibi illos à fide illuminatos oculos cordis concedat, de quibus Paulus loquitur; *illuminatos oculos cordis*. Et si infeliciter olim pariter in ejusmodi excessus incidisses, dic ad JESUM, eodemmet ardore, ac hodiernus cœcus in Evangelio: *Domine ut videam*. Quia autem non sufficit clericos solummodo videre ejusmodi excessus, qui modò passim committuntur;

PUNCTUM II. Considera, quid te hoc tempore facere oporteat, quo, tot animæ Christo Domino à dæmone eripiuntur? Primum

eft, ut te à focietate talium fepares; arctiorem feceffum eligas; ecclefias frequentes, & dum alii currunt ad adorandum vitulum aureum, ire debes ad exhibendum cultum Deo debitum, ad exemplum Tobiæ; *cùm irent omnes ad vitulos aureos, folus fugiebat confortia omnium; fed pergebat in Jerufalem ad templum Domini.* Tob. 1. 5. 2dum. Reaccendere debes zelum tuum pro falute & ædificatione proximi. Si paftor es, & curam aliorum habes abolore debes abufus, qui fortè ex hac occafione; in parochiam tuam irrepfere; impedire larvas, inverecundas mutationes veftium, perfonas larvatas, fpectacula profâna, & periculofa, & fimiles alios exceffus, quos licentiâ feu libertas ad confufionem & ruinam religionis noftræ induxit; *quoniam vos eftis prefbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veftrum, corda eorum erigite.* Judith 8. 21, Denique majori zelo & fervore, te Dei fervitio addictum oftendere debes, dum hoc tempore tot Chriftiani fui ipforum obliti, partes Domini Dei deferunt, ut fe fub vexillum diaboli conferant, mortalis inimici ejus, ut idem quafi dici poffit, quod olim: *toto corde univerfus Ifraël fequitur Abfalon,* 2 Reg. 15. Adhære igitur tu, majori cum fidelitate regi tuo. Imaginare tibi, quafi Chriftus JESUS, his diebus, taliter fe derelictum, contemptum, flagellatum, & crucifixum cernens, tibi dicat, non fine

exceffi

excessivo dolore, quod olim ad apostolos dixit; *nunquid & vos vultis abire?* Joan. 6. 68. responde tu cum S. Petro, ò Dominè; millies, ah millies libentius mori, quàm ut unquam te deseram; quò enim ire possumus, ut magis contenti, aut feliciores vivere valeamus. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ibid. 69. Pro Missa, stude coram sanctissimo sacramento, quod his diebus in pluribus ecclesiis est expositum, resarcire honorem Deo ablatum; offer illi omnem honorem, omnem cultum, amorem omnem, quem illi sacratissimum cor JESU exhibet & reddit, in & pro reparatione tot ac tantorum peccatorum, quæ hoc tempore committuntur, qualia forte & ipsemet olim commisisti. Intimum de iis dolorem concipe, & ad altare non accede, nisi ut misericordiam DEI implores, dicendo cum paupere cœco: *Jesu fili David, miserere mei:* vel cum S. Augustino Conf. l. 7. c. 7. *Magnæ voces, ad misericordiam tuam, tacitæ contritiones animi mei.*

****
****
*****
***
**
*

* * * * * * * * * * * * * * * * *
(*)(*)(*)(*)(*)(*.(*)(*)(*)(*)(*)(*)
* * * * * * * * * * * * * * * * * *

ADDITIO
MEDITATIONUM
Pro festis quibusdam hoc tempore occurrentibus.

DE S. ANDREA APOSTOLO.

Qui non accipit crucem suam, & sequitur me; non est me dignus. Matth: 10. 38.

DE AMORE CRUCIS.

1. Qualem S. Andreas habuerit.
2. Quam nos simus obligati eum, quò ad hoc imitandi.

PUNCTUM I. CRux pars & hæreditas est omnium discipulorum JESU Christi, quicunque eum sequi, & dignus illo esse cupit, illam amare & portare debet. Veritas hæc vel ab ipsis apostolis non statim credita fuit, putabant, ut alii omnes Judæi Messiam restituturum regnum Israël, & subjugaturum fortitudine brachii sui, omnes inimicos populi sui. Verùm, postquam illis exposuit Dei filius, hoc per crucem adimplendum, per quam omnes nationes subjugandæ, & ipse regnaturus esset; quòdque cum iis divisurus esset potestatem suam, ipsi cum eo sessuri essent super thronos in cælo, si se ad bibendum calicem cum illo resolverent, amplecterenturque viam humiliationis, & passionum

num; crux illis nil amplius abjectum & grave apparuit; imò potiùs, & è contrario, præ gaudio crucis extra se rapiebantur, prout manifestè apparuit post Pentecosten, quando carceribus inclusi, & virgis graviter cæsi fuêre in Jerusalem, ex mandato principum; tunc enim, ait S. Lucas, ibant apostoli gaudentes à concilio, eò quod digni habiti sunt, pro nomine JESU contumeliam pati. Act. 5. Ecce! quid S. apostolus Andreas, una cum aliis apostolis, benè intellexerit, & comprehenderit; verùm quod in particulari, ac specialiter de illo dicere possumus, id est, quòd cognitâ semel virtute S. crucis, præ amore illius penitùs languerit, ac penè defecerit. Hinc in Scythiam se contulit & Thraciam, ut ibi evangelium prædicaret, apud tales gentes, quæ semper & ab omnibus pro crudelissimis & ferocissimis totius Europæ habebantur. Quia autem non nisi omnem docilitatem in iis, & venerationem pro se ibi expertus fuit, venit in Achaiam & Patras, ubi illud invenit, quod in Scythia & Thracia obtinere non potuit. Quis exprimat hic, quanta fuerit illius consolatio & gaudium, dum se tandem post tot labores, dilationes, & retardationes, eò pervenisse vidit, ut possideret id posset in pace, quod tam ardenter hucusque concupivit? vir iste sanè decrepitus, & viribus omninò fractus, non solùm ibat ad locum supplicii sui, sed currebat, imò volabat; nullus unquam tanto affectu & passio-

ne ferebatur in voluptates, ac ille crucem, & passionem suam adamavit. En! quomodo cor illius se dilatet, & præ gaudio quasi natet, dum crucem sibi paratam primùm vidit? ô quomodo salutat eam? quomodo laudat? quàm tenerè illam amplectitur? o bona crux! exclamabat, adhuc longè ab illa distans; o sancta crux, quam tamdiu quæsivi, & causam etiam habui, te ità quærendi, inveni te tandem! o crux pretiosa! quantam diu desideravi: noli me deserere; en, lubens in amplexus tuos ruo, *ô bona crux diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & jam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te.* Crux planè augusta! crux triumphalis! quæ pro lecto & throno, sanctissimo magistri mei corpori servisti; quæque illius sacratissimo sangvine decorata fuisti; noli me repellere à te, neque dedigneris me; intra brachia tua recipere, *ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Quod autem magis inexpectatum, & non tantò magis admirari debemus, illud est, quòd cruce, quemadmodum divinus magister suus, usus fuerit pro cathedra: *cathedra docentis.* Omnes apostoli crucem prædicarunt, omnes professi sunt cum S. Paulo, se aliud non scire, nisi Jesum, & hunc crucifixum: verùm S. Andreas crucem de cruce pendens, & Jesum crucifixum, dum etiam ipse crucifixus erat, prædicavit; fecit hoc integro biduo, & quidem tam efficaciter, ut ex tanto numero spectato-

rum

rum, qui martyrio illius interfuêre, plures eò exarserint, ut eum furori Proconsulis subducere voluerint. *P*ostquam id advertit Andreas, ad Deum se convertit, & enixè eum precatus est, *tantummodo in hac voce exaudi me, ne me patiaris ab impio judice deponi.* Exauditus fuit, & mortuus super lecto honoris, qui decebat apostolum; & ducem exercitûs Jesu Christi, ut nimirum moreretur prædicando, & quidem in cruce; vel potiùs crux ipsa versa est ipsi in altare, super quo se unà cum divino agno in perfectum obtulit holocaustum. Laudemus Dominum, quòd S. Andreæ talem, tantumque crucis amorem inspiraverit, & in puncto 2do.

PUNCTUM II. Considera obligationem nostram, quam habemus, eum imitandi. Quia crux, apostolorum pars & hæreditas fuit, etiam nostra esse debet, *in hoc enim vocati estis*, ait S. Petrus 1. Ep. 2. 21. ut veritatem istam capiamus; memores esse debemus, quòd filius Dei, dum voluit homines salvare per crucem, & per multas tribulationes ad se eos revocare, pro cooperatoribus tanti negotii tales apostolos elegerit, qui laboribus assveti, sibi ipsis mortui, & capaces ac prompti essent, omnia subeundi, & tolerandi pro salute animarum. Et sane, qua ratione homines suis commoditatibus assveti, & necquidpiam sibi detrahi volentes, suscepissent in se laborem istum, ut peccatores multo sudore investigarent, & ad Deum reducerent? jam sic discurro; nos sumus, qui homini-

minibus istis, crucis & pœnitentiæ adeò deditis, successimus; nos sumus hæredes non solùm ministerii, sed & passionum, & tolerantiæ illorum; ergo parati esse debemus pati quæcunque, ut animas quoquo modo, Christo lucremur. *Semper enim nos; qui vivimus, in mortem tradimur, propter Jesum.* En, quale symbolum nobis cum S. Paulo eligere & assumere debeamus, id est, quòd crucem amare debeamus. 1mo. *amore quodam ardenti*, 2. Cor. 4. 11. ut S. Andreas, qui eam semper in corde suo habuit; adeó, ut nec minæ, nec persecutiones, nec aliud quidquam terribile in mundo separare nos possit à Jesu Christo, & evangelio ejus. *Sacerdos Dei evangelium tenens, & Christi præcepta custodiens, occidi potest, vinci non potest.* Dicebat S. Cyprianus Epist. 55. 2. Amare debemus crucem, *amore perseverante*, si vita simplicis cujusdam christiani esse debet crux aliqua continua, cui ille die ac nocte affixus sit, prout S. Augustinus dicit; qualis ergo debebit esse nostra? cruci affixi esse debemus, non solùm ut christiani; sed etiam ut clerici, id est, ratione statûs, & propter vivendi modum, quem amplexi sumus, qui aliud non respicit, nec intendit, nisi ut continuò laboremus, pro salute animarum; *sicut misit me pater, & ego mitto vos*, ait Redemptor noster Joan. 20. 21. Jam sic: missusnè est Dei filius ad alium finem, quàm ut pateretur? cessavitne ille pati, nisi cùm cessavit etiam vivere? *non est enim in hac vita*

tem-

tempus evellendi clavos, ait S. Augustinus serm. 205. Hinc, dum S. Andreas semel cruci affixus erat, noluit ab ea descendere, tam parùm, ac ipse Christus; *biduo vivens pendebat in cruce, donec ad eum migraret, cujus similitudinem mortis concupierat.* Vide nunc, quem amorem erga crucem habeas? noli dicere, te libenter moriturum in cruce, si se occasio aliqua offerret, nam, quomodo dares tu vitam tuam pro Christo, qui nè quidem modicam injuriam, modicum contemptum: modicum frigus, modicam submissionem perferre vales? nolim tibi imagineris, S. Andream, aliosque sanctos Martyres subitò ad hoc pervenisse, ut sangvinem suum pro evangelio profunderent; pluries se anteà sacrificârunt, quàm coronam martyrii acceperint; & quod in morte passi sunt, non nisi continuatio, vel potius recompensasio erat illius? quod in vita sua sustinuerunt: Id quod ipse S. Paulus testàtur, dum ait Rom. 8 36. *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Vult dicere: O Domine! non tantùm ab hoc die, vel ab hac hora est, quòd aliquid patiamur; sed quemlibet diem ac horam vitæ nostræ, non aliter consideramus quàm ut continuam aliquam mortem. Id ipsum & nos faciamus, hoc erit medium & ratio imitandi hunc magnum apostolum, quem hodie veneramur. Memores simus ad altare accessuri, verborum istorum S. Andreæ ad proconsulem; quæ in actis ejus, à Presbyteris &

Diaconis Achaiæ conſcriptis legimus. *Ego quotidie in altari immolo agnum immaculatum, cujus carnem, poſteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat, & vivus.* Eadem cum apoſtolo iſto prærogativâ fruimur; ſed pari diſpoſitione accedere nos oportet. Hanc nobis concedere dignetur Jeſus Chriſtus. Domine JESU, ſacerdos in æternum, qui nos elegiſti, ut quotidie ſacrificium ſanctiſſimi corporis & ſangvinis tui immolaremus, concede, ut huic magnò ſacrificio unire valeamus illud, quod de nobis ipſis tibi offerimus? ut nunquam ceſſemus immolare nos pro gloria tua, quemadmodum nunquam ceſſas te immolare amore noſtri, pro nobis; *introibo in domum tuam in holocauſtis.* Pſ. 63. 12. *Quid eſt holocauſtum? totum incenſum, ſed igne divino &c. Totum meum conſumat ignis tuus, nihil mei remaneat mihi; totum ſit tibi.* S. Auguſtinus ibid.

DE S. FRANCISCO XAVERIO INDIARUM APOSTOLO.

Non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. Philipp. 2.

DE ZELO S. FRANCISCI XAVERII.

1. De magnitudine illius.
2. Quas virtutes eidem adjunxerit;

PUNCTUM I. NUllus miretur, quòd S. Xaverio id ipſum hic applice-

plicemus, quod S, Paulus de fe ipfo ait, fcribens ad Philippenfes; fiquidem ifte fanctus, adeò prefsè veftigiis hujus magni apoftoli, inftitit, & haud minores regiones luftravit, ut eas magiftro fuo divino, ac Domino fubjiceret. Plures tomi non fufficerent, ut ea, quæ annis decem & dimidio, pro gloria evangelii præftitit, defcriberentur. Silentio involvamus zelum ipfius, & converfiones, quas in Gallia, Italia, Portugallia, effecit. Et eum in magno theatro Indiarum orientalium & Japoniæ propiùs infpiciamus, quæ ibi lucra fecerit. Hic nempè & hominibus & angelis, imò ipfi angelorum Domino, dignum fe fpectaculum exhibuit. Non ambitio, utut infatiabilis, quæ Alexandrum fiere compulit, quòd nonnifi unum mundum fuæ poteftati fubigere poffet; non avaritia, quæ nunquam dicit, fufficit, neque ullum periculum horret, ubi de lucro quodam faciendo agitur, tam violentos motus & affectus, in ullo unquam corde, quod poffederant, excitârunt, quàm quales gratia divina in corde Xâverii excitavit, ut regnum JESU Chrifti extenderet, ac propagaret. Ante oculos nobis ponamus regna & infulas Goam, Cambayam, Travangor, ora Commoria Pafcheja, Meliapor, Ceilan, Malaca, Molucca, & quafi infinitum quemdam mundum infularum Japoniæ, gentes tales, quæ & moribus, & ritibus, & lingvis plurimùm inter fe differebant, in his omnibus magnus hic evangelii præ-

dica-

dicator vocem & prædicationem suam audiri fecit, innumeros infidelium istorum instruxit, in fide, & sacramentis ecclesiæ munivit. Vix in Indiis apparuit, & en! populi isti magnis veritatibus, quas prædicabat, & sanctitate vitæ ipsius attracti & commoti per multa millia aria accurrerunt, ut sacro baptismatis fonte ab illo abluerentur. Non contentus tot & tantis lucris, aliud non suspirabat, quàm ut & in Chinam penetrare posset. Intendebat insuper post subjugatum Christi imperio tam vastum regnum, uti & illud Tartarorum, per Septentrionem denuo in Europam reverti, ut & hic quoque in & pro conversione hæreticorum sudare & laborare posset. O hominem verè apostolicum! ò animum sanè heroicum! ò zelum inimitabilem! ò seraphinum incarnatum! æternùm benedictus sis Domine Deus meus, pro omnibus gratiis, quibus vas istud electionis replevisti, quod separasti, & destinàsti ad prædicandum filium tuum exteris nationibus & gentibus; accende in nobis scintillam quamdam hujus ardentissimi zeli, à quo sanctus iste adeò feliciter, pro salute proximi fuit consumptus. Verùm quia non sufficit solummodò zelum quemdam habere.

PUNCTUM II. Considera, S. Xaverium zelo suo omnes alias virtutes, homini apostolico necessarias, & convenientes adjunxisse. Et imo *Obedientiam*. Non erat in ipso curiositas quædam, quæ eum animabat, seu impelle-

pellebat ad percurrendum tot provincias, sed obedientia in causa erat, cur tam longa & difficillima itinera in se susciperet. Electus à S. Ignatio, & missus à S. Sede, quæ est centrum communionis ecclesiæ, aliud non volvebat animo, quàm ut ordinationi divinæ obediret, quã in voluntate superiorum suorum reverebatur. Muros proprii paterni castelli pertransiit, quin vel obtutum in illis figeret, reputans secum, aliam se domum, vel patriam non habere, quàm quò Deus eum vocaret. Currit ad conversionem Indorum, & aliò se non occupat, quàm hoc grandi objecto, & negotio, quod tantis laboribus & sudoribus illi constitutum esse. Postquam Goæ advenit; Episcopo hujus magnæ civitatis, apostolicum suum Breve, statim exhibuit; non, ut ei commissionem suam significaret, vel jurisdictionem quamquam independentem sibi arrogaret, sed ut illud pedibus illius submitteret, suaque privilegia episcopali authoritati sacrificaret. Hæc ipsa obedientia fuit, quæ laboribus ipsius apostolicis copiosam de cælis benedictionem impetravit, ac tot victorias eum reportare fecit; *vir obediens loquetur victorias.* 2do *Humilitatem* Utut admirabilis coram oculis hominum fuerit Xaverius, & à regibus in summo honore habitus, tanquam legatus Altissimi, & ab eo missus, se ipsum tamen aliter non considerabat, quàm ut vilem creaturam; tanquam jumentum; ut terræ vermiculum, & miserabilem peccatorem. *Post*

tot

tot admirandos bonos successus & eventus; postquam Dominum suum, in possessionem hæreditatis suæ, immiserat, eique, ut instrumentum, ad implètionem magnificarum prophetiarum, quæ ei omnes nationes promiserant, servierat; novus iste thaumaturgus, qui per sua prodigia terram obstupescere fecit; *siluit terra in conspectu ejus.* 1. Machab 1. 3. Qui fuit admiratio angelorum, terror dæmonum; cujus sublimis sanctitas vel ipsis hæreticis laudem & approbationem extorsit, humillimus omnium erat: non solùm protestatur se servum inutilem, sed obstaculo se esse propter peccata sua progressui feliciori S. Evangelii, credebat. Bone Deus? quæ & quanta humilitas! an non meritò confundantur, & erubescant, in consideratione illius tot Clerici, qui tã facile abripi se sinunt à vanitate, & propria cõplacentia, ab illo modico; quod pro JESU Christo faciunt? 3. *Zelum* conjunctum cum spiritu *paupertatis & mortificationis.* Hic incomparabilis Missionarius sensim se assuefecerat, ut omnia ad instar Pauli patienter & libenter sufferret: *scio & humiliari, scio & abundare (ubique & omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati.* Philip. 4. 12. Scimus eum statum servilem elegisse, & mercatori cuidam operam suam locasse, ut civitatem quamdam ingredi posset, ubi propositum sibi erat prædicare; malebat, de domo ad domum mendicare panem, quàm conviviis magnatum in-

teresse

tereſſe, & licet nuntius fuerit apoſtolicus; hoſpitari tamen in hoſpitalibus & ad infima ſervitia ex amore proximi ſe demittere non erubuit. Scimus hunc verum Apoſtolum JESU Christi, ex mortificatione quadam insuperabili, liberalitati etiam violentæ, cujusdam magni regis, & miniſtrorum ejus reſtitiſſe, qui virtute & ſanctitate ejus capti, magnam pecuniæ ſummam, ei obtulerunt ad ſublevanda apoſtolatûs ſui incommoda; quam recuſavit, eligens cum S. Paulo, potiùs mori, quam ut hanc gloriam amittere, anuntiandi nimirùm, & prœdicandi Evangelium Dei gratis. Quid dicemus de oratione illius, quœ quaſi continua & interrupta erat? de charitate prorſus univerſali, quæ ſe in omnes pauperes æque, ac divites, parvos & magnos effundebat? o quoties viſus fuit diſcurſare per plateas, & vias publicas; cum tintinabulo in manibus, ut infantes, pueros, ac mancipia ad catecheſin vocaret; eos, matutinas & veſpertinas preces perſolvere doceret, & in primis elementis, ac fundamentis fidei inſtrueret? mirentur alii quantum velint, Xaverium diverſis linguis loquentem, cœcos illuminantē, ſurdis auditum reſtituentem, ſenſum & motum paraliticis, vitam mortuis largientem, à peſte integras civitates liberantem, tempeſtates & turbines ſedantem; erit nihilominus in oculis meis Xaverius ſemper magis admirandus, pauperibus evangelizando, quā tot tantaque prodigia patrando. Verùm non detine-

tineamus nos tantùm in admiratione quadam sterili & infructuosa. *Vidimus* arma, quibus, grandis iste heros christianismi, usus fuit, ad lucrandas JESU Christo animas; utamur & nos illis; sequamur virtutes illius; quas exercuit, & Deus etiam nostris laboribus benedicet, qualiter laboribus Xaverii benedixit. Si non possumus plantare & propagare fidem inter infideles, laboremus pro ea perficienda inter christianos, per frequentes instructiones nostras, & sanctitatem vitæ, ac morum nostrorum. Hæc est illa gratia, quam in hoc festo, quod zelum nostrum pro salute animarum, de novo accendere, & inflammare deberet, à Deo petere debeamus. Pro Missa; dicitur de S. Indiarum Apostolo, quòd eam, tanta cum devotione celebraverit, ut non semel tantùm cum copioso torrente consolationum, & suavitatis cœlestis se perfusum senserit; præcipuè post S. communionem, ut coactum se senserit rogare Dominum, qui eas moderari vellet, hinc illæ notæ, illius voces: *satis est Domine, satis est.* Tursellin, primus historiæ illius scriptor. *Hæ* sunt gratiæ & favores, quales nos non meremur; sufficiat nobis colligere micas, quæ cadunt de mensa sanctorum; & oremus Dominum nostrum JESU Christum pro gratia ista, ut aliquid saltem imitari valeamus, de hoc sancto sacerdote, qui ei tanto cum fervore & fidelitate servivit; *Deus, qui Indiarum gentes beati Francisci prædicatione & miraculis*

lis, Ecclesiæ tuæ, aggregare voluisti; concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutũ quoque imitemur exempla. Orat. eccles.

)**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**( )

OCTAVA DECEMBRIS.

PRO FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V. M.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant. 4. 7.

DE GRATIIS B. M. V. CONCESSIS.

1. Quasnam Deus illi, in hac die Conceptionis conferat:
2. Quam partem ex illis nos sumere debeamus.

PUNCTUM I. GRatias cum universali Ecclesia agamus Deo pro gratiis & favoribus sanctissimæ Virgini hodie collatis. *Primo*, præservat eam à peccato originali, ut dignam efficeret, quæ suo tempore, Mater JESU Christi, filii sui esset, ita ut quamvis nos omnes in Adam peccaverimus, & filii iræ omnes nascamur, haud difficile nobis accidere debeat, excipere Mariam ab hac regula generali. Ipsamet prima, humiliter id agnoscit, ac fatetur, puram Dei gratiam & misericordiam esse, quæ eam ab omnibus aliis, Adami descendentibus, distinxerit, & à massa corruptionis separaverit, eamque in benedictionibus dulcedinis prævenerit: *fecit mihi magna, qui potens est.* Luc. 1. 49. Agnoscamus id ipsum & nos cum illa, ut ita debitam Christo

sto JESU, nostro & ipsius salvatori, gloriam reddamus. *In laudem gloriæ gratiæ suæ* Ephes. 1. 6. Legimus in principio libri tertii regum, quòd summus Pontifex Abiathar unà cum Joab, partibus Adoniæ accesserit; his autem brevi dispersis, Salomon ad thronum David patris sui elevatus, sententiam mortis, contra omnes eos pronuntiaverit, qui se contra eum declarâssent,, sed Pontifici summo pepercit; mortem quidem, ajebat ad eum 3. reg. 2. 26. promeritus fuisses, ut alii rebelles. *equidem vir mortis es*, sed gratiam tibi faciam, & favorem, eò quod arcam Domini portaveris. En, filiam Adæ, quæ electa fuit à tota æternitate, non ut portaret, sicut Abiathar arcam veteris testamenti super humeros suos, sed cujus viscera simul, futura essent arca quædam viva, ubi verbum divinum incarnatum requiesceret; filia mortis est, si eam secundum naturam suam consideremus, si verò eam, secundùm suum ministerium, Deo exhibendum, aspiciamus, filia, imò Mater est ipsius vitæ; & sub qualitate ista, & consideratione hac, ad differentiam aliorum electorum, prædestinata fuit ante alios, non solùm quoad animam, sed etiam quo ad corpus, itaque non tantùm optimam animam sortita est, *sortita sum animam bonam*, sed hæc ipsa anima, tale corpus reperit, quod nullo unquam peccato fœdatum erat, & *veni ad corpus incoinquinatum*, Sap. 8. En primum privilegiũ Con-

cepti.

ceptionis suæ! 2do. Dedit ei Dominus plenitudinem gratiarum, quam primum capax erat illas accipiendi. S. Jeremias, & S. Joannes Baptista, sanctificati, & Spiritu sancto repleti fuêre de ventre matris suæ, non dubitemus, quin mater DE, fuerit magis, & supra servos istos privilegiata; quodque non solum plus gratiæ, quam dicti duo prophetæ, sed etiam angeli & sancti omnes unquam, acceperit, & in hoc sensu, plures docti interpretes explicant hæc verba, Psalmi 86: *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Ita est, ait S Gregorius M. in 1. reg. 1. *an non mons sublimis Maria, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitatis, transcendit, quæ ut ad conceptionem æterni verbi pertingeret, meritorum verticem super omnes angelorum choros, usque ad solium Deitatis, erexit?* 3tiò. Primo ista gratia, quam sanctissima Virgo accepit, tam plena & abundans erat, ut se in omnem ætatem vitæ illius extenderit, & ab omni peccato liberam & exemptam fecerit; *puto.* ait S. Bernardus epist. 147. n. 5. *quod copiosior sanctificationis benedictio in eam, descenderit, quæ non solum ipsius sanctificaverit ortum, sed & vitam, ab omni deinceps peccato, custodierit immunem.* Privilegium incomparabile, nulli alteri concessum; quòdque in illa etiam pro semper extinxit & sopivit rebellionem carnis contra spiritum, & illos inordinatos, ac turpes motus, super quibus vel ipsi

sanctissimi ingemuerunt; & adhuc ingemiscere coguntur. *Subsiste* hic parumper, & considera hæc gloriosa privilegia Beatissimæ Virgini à Deo concessa; contestare illi gaudium tuum, quod exinde sentis. O quam æquum fuit Virgo sanctissima! nullum unquam fuisse tempus, vel momentum; in quo non fuisses tota sancta, & acceptissima Deo! *sancta corpore & spiritu.* Quàm justum erat, serpentem infernalem, nunquam in potestate sua, habuisse illam, quæ suo tempore, contritura esset caput ipsius, & quòd, antequam domus seu habitaculum Domini fieret; nihil unquam in ea fuerit, quod oculos divinæ majestatis offendere potuisset! *sanctificavit tabernaculum suum Altissimûs, DEUS in medio ejus non commovebitur* Ps. 45. Verùm, quia hæc privilegia illi solummodò propria, & peculiaria fuerunt.

PUNCTUM II. Considera, quem fructum ex hoc mysterio capere, quamque partem Clericus exinde sumere debeat. 1. Vivere debet in magna puritate tum animi, tum corporis, ad exemplum sanctissimæ Virginis; *inoffensos & immaculatos decet Dei existere sacerdotes*, ait 4tum Concilium Toletanum cap. 19. si oportebat Mariam præservatam fuisse in conceptione sua ab originali peccato, & tot ac tantis gratiis repletam, quia destinata fuerat, ut Dei filium conciperet, & mundo parturiret, si pariter necesse fuit postea, quando

proxi-

proximè elevanda erat, ad dignitatem hanc maternitatis divinæ, Spiritum S. in eam de novo supervenire, & secum novam plenitudinem gratiarum afferre, *ut dignum filii Dei habitaculum effici mereretur*, qualis ergo esse debet puritas, & innocentia sacerdotis, qui singulis diebus in altari, eundem filium Dei producit, illumque de cælis in terram ad se trahit efficacia verborum suorum? qui non solùm eundem intra se recipit, sed singulis momentis, etiam aliis, illum dispensare potest? *quam mundæ esse debent manus illæ! quam purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum cor sacerdotis*; exclamat hic piissimus author libri de imitatione Christi l. 4. c. 5. *ad quem totus ingreditur author puritatis*? 2do. Evitare debet vitia non solùm graviora, & notabiles excessus, sed etiam defectus, & errores veniales, & minimas etiam sordes peccatorum. Si in veteri lege illi, qui vel minimam maculam, vel defectum habebant, à ministerio altaris exclusi erant, *homo, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus*. Levit. 21. 17. quantam curam adhibere debebunt sacerdotes novæ legis, ut corda sua purificent ab omni affectu terreno, & inordinatis moribus? illi nempe, qui adeò felices sunt, ut quotidie offerre valeant Patri æterno carnem purissimam, & prorsus immaculatam Jesu Christi Filii ejus, cujus omnes veteris legis victimæ, non nisi

umbra

umbra quædam & figura erant? *valde præposterum* ait Petrus Damiani Cardinalis, de intemper. Cler. differt. 1. c. 2. *si illa nunc denegetur reverentia veritati, quæ tunc adumbratæ deferebatur imagini.*

3tiò. Renovare debet hodierna die de votionem suam erga sanctissimam Virginem Mariam, consecrare se ejus servitio, imitari virtutes illius, & super omnia horrorem illum, quem illa de omni peccato habuit. Quamvis præservata ab omni peccato, à primo conceptionis suæ instanti fuerit, nihilominus non omisit fugere, & declinare etiam minimas occasiones ullius peccati perpetrandi, non aliter ac si omnia ipsi timenda fuissent. Qualis lectio, seu doctrina pro nobis? studeamus igitur afferre eandem vigilantiam, ut nobis vel à minimo etiam lapsu caveamus: abscondamus thesaurum gratiæ Dei, ne à dæmonibus nobis auferatur, vivamus in continua diffidentiâ de nobis; & elongatione à commercio mundi, amemus silentium, & solitudinem ad exemplum Mariæ. Hoc est, quod à nobis exigit infinita puritas adorandæ hujus victimæ, quam in altari offerimus. Pro Missa, præparemus nos ad illam humilitate quadam sane profundissima. Ah! Domine Deus meus! quomodo ego audeam celebrare Missam, ac peragere sacrosancta mysteria? producere in altari Filium tuum JESUM Christum; eumque mundo dispensare? quale prodigium! tale nihilominus, quod

quo-

quotidie in manibus meis peragitur: prodigium tale, quod me rubore perfundit, si considero, quis tu sis, & quis ego? quid in & à Maria desideraveris, & modicum illud, quod in me est? mi Deus! dona mihi partem aliquam de iis, quibus hanc sanctissimam Virginem exornasti, à primo instanti conceptionis suæ; quia satis benè intelligo, quòd; cùm sacerdotes; tui ministri, & quasi procuratores sint, tale etiam quid habere debeant, per quod à vulgo fidelium, seu Christianorum distingvantur *Mundiores debent esse cæteris, quia actores Dei sunt.* S. Ambros. in Epist. ad Tim. c. 3

PRO FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam; & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. 20. 27.

DE SANCTISSIMIS VULNERIBUS CHRISTI DOMINI.

1. Quantam in corde S. Thomæ impressionem fecerint sanctissimæ hæ plagæ.

2. Quam etiam in nobis facere debeant.

PUNCTUM I. Mirare hic infinitam salvatoris bonitatem, qui dignatus est per specialem apparitionem S. Thomæ ostendere sanctissima vulnera sua illi inflicta in cruce. O quàm meretur charitas ista divina pro salute alicujus peccatoris, o-

mnē

mnē ſanè adorationem & reverentiam noſtrā? videamus deinde, quàmnam impreſſionem hæ ſacræ plagœ, in animo apoſtoli hujus fecerint, & quē effectū habuerint. 1. Curant infidelitatem ſeu incredulitatem illius; obſtinatus erat, noluitque ullatenus credere reſurrectionem divini magiſtri ſui, niſi propriis manibus contrectaret vulnera ejus. Demiſit ſe Chriſtus JESUS adeò, ut ad incredulitatem illius convincendam, vel hoc ipſo medio uti voluerit. quod ipſe prœſcripſit. *Infer digitum tuum huc.* En Thoma! manus, quœ per ſuum contactum tot infirmos curârunt, & mille benedictiones in homines effuderunt; en, quomodo perforatœ ſunt? en pedes iſtos, ſub quibus mare ipſum induruit; & quibus terra, non niſi ſub ſcabello ſervit; benè eos inſpice; iſti ſunt, qui trabalibus clavis cruci affixi fuêre. Vide hoc latus lanceâ apertum; infer digitum tuum, in iſtud ſanctuarium amoris & gratiœ, & diſce deinceps fidelior eſſe. Thomas non tam citô tetigit ſacratiſſima hœc vulnera, quin ſtatim plaga incredulitatis ipſius ſanata fuerit, & ipſe exclamaverit; *Dominus meus, & Deus meus. Bona foramina,* ait S. Bernardus, in cant. ſerm. 61. n 3 *quæ fidem adſtruunt reſurrectionis; & Chriſti divinitatem,* 2. Zelum illius animant, & accēdunt, & inſtrumenta evadunt, omnium magnarum illarum actionum, quas deinceps operatus eſt. Haurit ex apertura iſtâ lateris ſalvatoris ſui, ardentem quēdam

dam amorem, erga humanitatem ipsius deificatam; & pro ecclesia, quæ est corpus ipsius ex aperturâ illâ, quam clavi in pedibus ejus fecerunt, stupendam ac tantam agilitatem, ut laborem suum longius ac remotius extenderit, quàm ullus apostolorum. Nolo hic uti opinione S. Chrisostomi, qui prætendit, Hom. 61. in Joan. amorem & charitatem hujus apostoli, omnium aliorum apostolorum charitatem superasse. Nulli propterea nec sollicitudini, neque labôri, neque defatigationi pepercit; missus velut agnus in medio luporum, secretum illud invenit mutandi lupos in agnos: & mansvetos reddendos homines, qui feris bestiis similiores erant, quàm hominibus, & ad eos jugo Christi submittendos. Verum est, miracula ipsius plurimum ad hoc contribuisse, & magnam verbis illius aurhoritatem conciliasse; sed fateri oportet, quòd vita ipsius prorsus divina, quæque erat fidelis quædam copia, seu imago magistri sui, potentissimum illud motivum fuerit conversionis barbararum istarum nationum. Videntes enim vitam adeò mirabilem, & à suâ quàm longissimè differentem, qualem hucusque non viderunt, coacti fuêre, oculos suos levare in cœlum, & agnoscere in hoc opere digitum Dei; & magnificare seu extollere misericordiam illius, qui venerit visitare, & eripere eos de potestate principis tenebrarum, ut transferret eos; in potestatem filii sui unigeniti summè dilecti. 3.

San-

Sanctissima JESU Christi vulnera coronâ, imponunt apostolatui illius. Totus in eo considerando & expendendo, quod redemptor, ac divinus magister suus pro salute hominum, pertulisset, aliud non suspirabat, nisi martyrium; moritur multoties, ut verbis S. Pauli utar, antequam vel semel moriatur; modò carceri inclusus, & in profundam fossam demissus; modò crudelissimè virgis laniatus, modò lapidatus, & ignominiosè civitate pulsus, famem, sitim, nuditatem, longa itinera, mille pericula iis annexa, gravissimos labores perpessus; ut adeò sensim tanquam victima in odorem svavitatis consumptus fuerit. Tandem invenit in Indiis, ac in civitate Calamina, quod tantopere optârat, & ibi sacrificium suum côplevit. Rex regionis illius, tam rebellis verbo divino, ac Herodes, & crudelior etiam hoc principe, lanceâ eum côfodi præcepit. Exspirat Thomas, corpore lanceâ perforato, sed corde illius longè vivacius, sanctissimis vulneribus salvatoris sui, pretio redemptionis suæ vulnerato, & perculso, O mortem verè pretiosam in conspectu Domini! o cursum gloriosissimè consummatum, o incredulitatem, sanè dignè reparatam, & emendatam? vidimus quânam impressionem sanctissimæ plagæ Christi Jesu in corde S. Thomæ fecerint, videamus nunc, quamnam etiam in nostris cordibus facere debeant?

PUNCTUM II. Possumus nos æquè ac

S.

S. Thomas, ex fontibus hisce Salvatoris, aliquid haurire, & ingredi in sanctuarium istud divinum, sanctissimorum vulnerum Christi Domini, quæ summus hic Pontifex, juxta mentem Ambrosii in corpore suo, etiam in cœlo, retinere voluit, non solùm ad confirmandam fidem, sed insuper ad excitandam devotionem nostram, & ut efficacius pro nobis apud Patrem suum intercedere posset, exhibendo & monstrando illi, tanquam pretium redemptionis nostræ, hæc signa, *Non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit; quòd vulnera suscepta pro nobis cælo inferre maluit; abolere noluit, ut Deo Patri nostra pretia libertatis ostenderet.* lib. 10 Luc. 24. Accedamus cum fiducia ad fenestram arcæ hujus sanctissimæ, non enim clausa est; civitas est refugii, quò peccatores liberè confugere possunt in angoribus suis, in quos à peccatis suis, cõsiderando justitiam DEI vindicis conjiciuntur. Si remorsus conscientiæ nostræ nos perturbant, si inimici nos persequuntur; conjiciamus nos in hoc apertum latus Christi JESU; in hoc sanctuarium amoris, gratiæ & benedictionis; eligamus instar columbæ, hic nidum nobis, & refugium nostrum; *columba mea in foraminibus Petræ.* Cant. 2. Videbimus exinde infernum contra nos conjuratum, quin vel in minimo nos lædere possit, audiemus frementes dæmones, & mundum contra nos irritatum; nos verò omnes eorum minas ridebimus: *in*

illis

illis dormio securus, ajebat S. Augustinus Enchirid. 2. 12. Progrediamur deinde ad vulnera sanctissimorum pedum; verum thronum gratiæ & securissimum pro peccatoribus asylum. Ex his sanctissimis pedibus toties defatigatis, eò quod post oves errantes domûs Israël cucurrerint. S. Thomas admirâbilem illam agilitatem hausit, & desumpsit, quâ Evangelium Christi Parthis, Medis, Persis, Scythis, Hircanis, ac demum in Indiis prædicavit. Hic invenient pariter cum illo Clerici fontem inexhauribilem veri & Apostolici cujusdam zeli, quô DEO animas lucrentur, & se ipsos instar aquilarum quàm rapidissimo volatu usque ad Deum elevent; *assument pennas ut aquilæ; volabunt, & non deficient.* If. 40. Manus denique Salvatoris ostendent nobis extensionem illam infinitam charitatis ejus; nunquam illas cruci affixas aspiciamus, quin recordemur quanti nos ei constiterimus; dicamus ei cum quodam vero servo Dei: *opus manuû tuarum Domine, ne despicias, vulnera manuum tuarum precor, ut aspicias; ecce, in manibus tuis descripsisti me, lege ipsam scripturam, & salva me.* Solil c. 2. inter opera S. Augustini Tom. 6. Pro Missa reflectamus nos super hanc felicem sortem nostram, quòd quotidie ad altare tractare, & contingere possimus sanctissima Christi vulnera, dicere tunc possumus cum S. Apostolo, ac dilecto suo discipulo: *manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.*

1. Joan: 1. Verùm, quia ad nos venit tanquam medicus cæleftis, nos ipfi potiùs eum rogemus, & conjuremus inftanter, ut ipfemet plagas noftras tangere, & virtutem vivificantem fanctiffimæ carnis fuæ, infirmitatibus animœ noftræ, applicare dignetur, nil effe poteft efficacius ad has curandas, quàm continua quædam meditatio vulnerum D. N. J. C. fecundùm S. Bern; ftudeamus ad exemplum hujus Sancti, per hoc nutrire pietatem & devotionem noftram, hacque meditatione inceffanter nos occupare. *Quid enim tam efficax ad curanda confcientiæ vulnera; nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Chrifti vulnerum fedula meditatio.*

* * * * * * * * * * * * * * *

IN FESTO S. FRANCISCI SALESII.

In fide & lenitate ipfius fanctum fecit illum. Ecclef. 45. 4.

DE FIDE ET MANSVETUDINE ILLIUS.

1. Fides illius gratum eum Deo reddidit.
2. Manfuetudo & lenitas, hominibus.

PUNCTUM I. NOn poteft Sanctus aliquis magis laudari; quã à fide, quæ eft fons & origo omnium bonorum operum, quæ nos juftos & gratos Deo efficiunt juxta hanc fcripturæ fententiam. *Juftus autem meus ex fide vivit.* Hebr: 10. Hæc virtus emicuit in S. Francifco à primis ftatim vitæ fuæ annis; hæc fuit arca, quæ illum

illum tanquam alterum Noe ab aquis diluvii salvavit, volo dicere, à corruptione mundi, ubi tot animæ adeò miserè pereunt, *fide aptavit arcam in salutem domûs suæ.* Hebr. 11. In vanum laboravit dæmon ei objicere scopulos, in quibus naufragio interiret: scuto enim fidei munitus, semper victor è pugna exivit: & generosè retudit omnia tela agnita inimici salutis suæ. Armavit se aliquando titione ardente ad repellendam impudicam fœminam, quæ eum ad peccatum sollicitabat; & quia benè noverat portare se thesaurum divinæ gratiœ, in vase fictili, extrema solicitudine, & cura fugiebat omnes periculosas occasiones, studiis Parisiis incumbens, nonnisi Ecclesias & Collegia frequentabat; castigabat innocens corpus suum, & in servitutem redigebat per orationem, jejunium, & macerationes alias. Verum nonnisi prœludia erant vitœ suæ pœnitentis; fides in eo alia adhuc mirabiliora operata est. Oblatâ illi ab Episcopo suo missione ad laborandum pro conversione hœreticorum Anuatensium; & transitu omni, à cœcis istis hominibus, illi occluso, per medias nives, & prœrupta montium, quasi reptando, aditum sibi ad illos fecit; prœdicavitque illis Ecclesiœ doctrinam, tanto cum zelo, ut tandem non obstantibus quibuscunque malis prœjudiciis & prœventionibus, quibus rebelles veritati reddebantur, tamen audierint. Exhibuit illis in seipso prœdica-

to-

torem caftum, temperantem, amorofum, à propriis commodis abhorrentem; refolutum, ut vel victima etiam evaderet fidei & religionis. Poteft de ipfo æquè benè, ac de magno Apoftolo Paulo illud dici, quòd figna Apoftolatus fui fuerint, defatigationes, labores, vigiliæ, jejunia, calumniæ, injuriæ, infidiæ, perfecutiones. Omnia hæc fanctus nofter Miffionarius tanta cum patientia fuftinuit, ut vel ipfi magis obcœcati, & omnium duriffimi, infenfibiliter quafi fe ab eo fafcinari permiferint, quem etiam propterea magum quemdam, veneficiorumque magiftrum appellabant: quique à Chrifto JESU tanquam agnus inter lupos ad eos miffus pro eo, ut ab eis devoraretur, virtutem & poteftatem tantam habuit, ut ipfe lupos iftos verteret in agnos. O quoties, à tempore affumptionis fuæ in Epifcopatum Genevenfem, confiderans ruinam fpiritualem hujus infidelis & incredulæ Jerofolimæ, ad exemplum Jesu Chrifti flevit fuper illam? quoties zelo plenus, generofo animo, è manibus miniftrorum hæreticorum, innocentem prædam jamjam ab ipfis devorandam rapuit & falvavit? quoties & ipfe oravit gemens & ab aliis fidelibus chriftianis rogari fecit, divinum magiftrum fuum; ut injuriæ illæ, quæ intra muros Genevenfes illi inferebantur, repararentur? quoties ardore fidei & charitatis fuæ impulfus, refolutionem cepit, recuperandi non fuos Epifcopales reditus, qui ei adeò injuftè ablati

ti fuerant; sed animas illas, quæ pretioso Dei sangvine emptæ fuerant, pro quibus ipse quoque libenter millies propriam vitam suam dedisset? quàm resolutè & intrepidè per civitatem hanc ingratissimam cursitabat, quæ Prophetas suos occidit, & manibus inimicorum suorum se objecit, quin vel minimum sibi à furore ipsorum timeret, ut infirmis Catholicis Sacramentum pœnitentiæ administraret: & uni ex principalibus capitibus hujus partis schismaticæ ac hæreticæ, (Beza successor Calvini) ad aperiendos veritatis lucis oculos; dux fieret? gratias Deo; quòd sanctum hunc fide adeò viva illustrarit ac munierit; & ora illû, ut illam etiam in te augere velit.

PUNCTUM II. Veniamus modó ad mansuetudinem & lenitatem S. Prælati nostri, qui præ omnibus etiam magnis, ac excellentibus illius sæculi viris, promeritus fuit elogium illud, quod Spiritus S. Moysi dat, *nempe vir erat mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Num. 12. Videre est hanc ipsius mansvetudinem, omnes quasi fascinantem per cursum totius vitæ ipsius. Dum quadam die disputaret cum quodam ministro acatholico, qui resistere haud poterat Spiritui divino, qui in illo, & per illum loquebatur, confugit infelix homo iste, ad injurias & verba contumeliosa tamque atrocia etiam effutiit, ut vel maximam patientiam concutere, vel omnino subruere potuissent, pa-
tien.

tientia autem nostri Prœlati, nullam exinde difficultatem sensit; possidebat nimirum in pace animam suam, memoria secum revolvens, magistrum suum divinum, pro stulto, pro samaritano, & dœmoniaco, habitum; compassionem potiûs, medicum charitativum decentem, furori hujus phrenetici exhibuit. En! innocentia illa venefica, quibus hæreticos passim incantavit. Hic erat modus illius, & pugnandi, & vincendi; convertitque longè plures hac viâ & ratione, quàm omnes alii, quicunque demum ullâ sua arte & disputationibus unquam efficere potuissent. Id, quod ex omni parte, tot peccatores ad tribunal illius sacrũ attraxit, habebat nimirùm talem, tantàmque erga eos compassionem & teneritudinem, ut verbis explicari non possit. Elucebat hæc mansvetudo, & dulcedo, vel ex ipsis etiam ejus oculis, quemadmodum in Christo JESU, qui propterea & publicanos, & fæminas pessimæ vitæ & famœ ad se attraxit. Videre erat in labris ejus subrisum quemdam plenùm hilaritate; & manus illius promptæ, paratissimæque erant ad sublevandos, & amplexandos peccatores quoscunque. Videor mihi videre partem filii prodigi, qui in amplexus hujus deperditi juvenis, ruit, qui lacrymas suas, lacrymis illius commiscet, & mirum in modum illi blanditur. Sed minimè persvadere nobis debemus; quasi peccatores reconciliasset, & absolvisset, quin veram mutationem, con-

versionem, & fructus dignos pœnitentiæ, ab eis exegerit. Talis fortè est mansvetudo illa, quam nobismetipsis optaremus, & expeteremus; talis autem lenitas & dulcedo, ut ex principis fidei nostræ loquar, latrocinium est, & verissima crudelitas, subversio est totius Evangelii, & ruina religionis Sanctus hic Episcopus Genevensis longè aberàt à tâli mansvetudine, demittebat se, ut lapsos elevaret per charitatem aliquam condescendentem; sed ipse non pariter cadebat cum ipsis, reddendo se complicem alienorum peccatorum, per cæcam quamdam conniventiam; omnibus omnia fiebat, non ut eos in sordibus suis putrescere permitteret, sed ut Jesu Christo omnes lucri faceret. Bonus iste Samaritanus oleum & vinum plagis & vulneribus infirmorum infundebat, oleum compassionis, & vinum correctionis; non quidem onerabat pœnitentes suos pondere insupportabili, neminem tamen etiam eximebat à portanda cruce sua; à crucifigendâ carne sua; à vitiis, & inordinatis desideriis refrænandis: Faciles reddebat vias Domini; non longas faciendo, sed complanando difficultates illas, quas sibi mundus, in observandis præceptis evangelicis; præfixerat. Denique dici de ipso potest, quod S. Augustinus epist. 82. N, edit. de magno Apostolo Paulo dixit: *omnibus omnia factus est; non simulantis astu; sed compatientis affectu.* Benedictus sis Domine Deus meus! quòd Ecclesiæ tuæ, hunc S, Episcopum, & magnum ducem spiritûs dederis,

ris, sæculo adeò corrupto, quale nostrum modernum est, effunde super corda nostra, dulcedinem charitatis tuæ, & fac per gratiam tuam, ut instructionibus ac exemplis ejus erudiamur. Non est unus ex Sanctis primorum sæculorum; vel qui in desertis Thebaidæ vixerit, sanctus talis est, qui in memoria adhuc est Patrum nostrorum. Dantur sancti, quorum vita plus admiranda, quàm imitanda sit; torrentibus similes sunt, qui magnum rumorem, ac mirabiles effusiones virtutum prorsus extraordinariarum post se reliquerunt; in S. Francisco Salesio, totum & omne, est imitabile, fluminis alicujus valdè pacati, & quieti instar erat, cujus aquæ absque strepitu ullo defluxerunt; DEUS illum sanctum fecit in modo quodam vivendi ordinario, & communis semper sibi erat æqualis, & uniformis; nunquam à se ipso deflexit, neque vestigia sua eum fefellerunt. *Studeamus* igitur imitari exemplum adeò recens, ut vivamus per fidem, prout ipse; & obligationibus nostris satisfaciamus, eadem cum ipso fidelitate; observemus solitudinem quamdam interiorem etiam in medio mundi: utamur illo, tanquam non utentes, & Deum nostrum in omnibus, & per omnia glorificare studeamus. Pro communione sanctus hic noster talem dat regulam, à qua nunquam declinare debemus, nempe: *communionem singulis octo diebus requirere, ut quis peccato mortali, & omni affectu ad peccatum veniale*

tareat, ac magnum in se desiderium experiatur, ad S. communionem accedendi. 2. Part. Philoth. c. 20. Hæc dispositio multò magis necessaria est sacerdotibus, qui magnum & grande hoc Christi & Ecclesiæ sacrificium offerunt. S. Franciscus illud, tanto cum fervore, & ædificatione offerebat, ut vel in devotissimis etiam devotionem quamdam inspiraverit; hinc nimirùm traxit totum illud fundamentum mansvetudinis, & dulcedinis, quam in ipso admiramur; eundem & nos quoque ad altare afferamus fervórem; & Christum Jesum, ad exemplum hujus S. Episcopi, rogemus, ut nos & suæ mansvetudinis, & charitatis participes faciat, ut corda peccatorum movere, & utilitèr ad conversionem illorum laborare valeamus. *docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Ps. 50. 51.

(*)(*)(*)(*)(*)(*)(*)(*)(*)(*)(*)(*)

PRO FESTO PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ.

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. 2. 22.

DE SACRIFICIO, QUOD DE NOBIS IPSIS, DEO OFFERRE DEBEMUS.

1. Invenimus in Purificatione B. V. media hoc Sacrificium offerendi.
2. In præsentatione autem, seu oblatione Jesû modum id faciendi.

PUN-

PUNCTUM I. QUicunque se Deo consecrare vult modo tali, qui ei gratus, & acceptus sit, ducere debet vitam omnino puram; *circumcisus vitiis*, ait S. Ambrosius, in Luc. lib 2. *dominico dignus judicatur obtutu*, id, quod nos docet sanctissima Virgo, in & per hanc cæremoniam purificationis suæ. Scimus eam nec minimum habuisse, quod purificatione indiguisset, utpote Matrem Dei, seu illius, qui ad hoc venit, ut universam naturam purificaret, & qui origo est omnis puritatis angelorum, & sanctorum omnium. *Nihil in hoc partu impurum fuit; nihil illicitum, nihil purgandum, nimirûm, cum proles ista, puritatis fons sit, & purgationem venerit facere delictorum* S. Bern. Serm. 3. de Purif. B. V. M. Adeò nihil sordium contraxit per hunc partum supernaturalem, ut potius purior, & magis virgo exinde evaserit, ait S. Augustinus. *Serm.* 15. de temp. Nihilominus non omisit Beatissima Virgo quidquam de cæremoniis purificationis, perinde, ac si una de cæteris, huic legi subjectis mulieribus fuisset. Prouti illæ, sic & ipsa secessum tenuit septem diebus, & habitationem separatam, ab omni humano commercio, ut illæ, sic ipsa abstinuit per quadraginta dies, ab ingressu templi & contactu cujuscunque rei sanctæ: ut illæ, sic & ipsa, ad purificationem se sistit & offert, & victimam à lege præscriptam, secum affert. Non id

fecit, quasi his mediis indigeret, illo tempore tam pura ac antea fuerat; & sine interruptione Deo applicata, intenta, & unita; sed docet nos exemplo suo, solitudinem, secessum, abstinentiam reverentialem à rebus sanctis, ac humilitatem, excellentia quædam media esse, ad nos purificandos, & tales efficiendos, ut de nobis ipsis sacrificium Deo gratum, & acceptum facere, & offerre valeamus. Recessus ab hominibus, & solitudo, magnum remedium, & adjumentum sunt ad purificandum nos, ab inevitabilibus maculis, quas per commercium & conversationem cum hominibus, contrahimus. Volo Clericum assiduum esse in oratione; fervidum in exercitio bonorum operum, zelosum pro salute animarum; si se à consortio aliorum se non subducat, & in se ipsum descendat, planè haud immunis erit ab isto pulvere, qui nobis, etiam in actionibus nostris sanctissimis, adhærere solet, *necesse est, de mundano pulvere, etiam religiosa corda sordescere*, ait S. Leo serm. 4. de quadrag. Huic solitudini adjungere oportet, quandoque abstinentiam quamdam reverentialem, & voluntariam ab usu rerum sanctarum. Servit nobis Maria in hoc puncto pro exemplari, non contenta observasse solitudinem septem dierum, ut aliæ mulieres Judeæ solebant, insuper utut innocentissima, abstinet ab ingressu templi, totis quadragintà diebus. Pulcherrima figura! quæ non solùm sacerdotibus, qui

sanctitatem sacerdotii sui per turpes excessus inhonorarunt; sed iis etiam, qui vel modicum, à primo suo fervore defecerunt quàm necessarium ipsis sit, vel saltem utile, & fructuosum, aliquanto tempore, à ministerio suo angelico abstinere, ut postea sanctius, & dignius Deo appropinquare valeant. Refert Granado Dominicum de Martyribus, cujus vita tam pura, exercitia pietatis adeó ordinaria erant, nihilominus, uno die intra septimanam, à celebratione abstinuisse, ut altius sibi horrorem illum sacrum imprimeret, quem ad hoc tremendum mysterium afferre oporteat; & sacerdotes illi, quorum vita tota mundana, & sæcularis est, nullum intervallum unquam faciant, ut melius se ad tantum mysterium præparare valeant? Barthol, de vit. Domin. de Martyribus l. 4. c. 27. Denique 3tium medium purificandi nos à defectibus & erroribus nostris, est, ut imitemur humilitatem Beatissimæ Virginis. En! quomodo se submittit tali cœremoniæ, quæ adeò contraria innocentiæ suæ videbatur, & gloriam virginitatis suæ minuere, quamvis nullo modo ad illam fuerit obligata; disce exinde, ut non solùm iis inhæreas, quæ tibi præcepta sunt, sed ea quandoque exequaris, quæ præcisè consilii, & perfectionis sunt. Noli esse ut certi quidam Clerici, qui continuò interrogare solent: estne hoc absolutè ad salutem necessarium? sumne ad hoc obligatus sub peccato mortali? qui Deum amat, & qui ve-

rè

rè ei placere desiderat, tali modo non loqui-
tur; dicit potiùs cum aliquo ex antiquis Pa-
tribus; *debeo non tantùm obsequi Deo, sed & adulari*. En! habes media, ut in statu sis of-
ferendi & sacrificandi te Deo! vide, ut exin-
de proficias; & pro secundo puncto considera in oblatione Christi Domini modum & ratio-
nem, quem in tali oblatione teneas.

PUNCTUM II. Tres qualitates, & cir-
cumstântiæ specialiter annotandæ sunt in o-
blatione Christi Domini, dum se hodie Pa-
tri suo divino obtulit. 1mò *maturè* se offert; hac die non aliud fecit, quàm, quòd ratifica-
verit publicè in templo, quod in primo mo-
mento conceptionis suæ fecit, ubi se ad omnẽ voluntatem Patris sui promptum obtulit, se-
cundum Apostolum, Hebr. 10. *Ideò ingredi-
ens mundum dicit; ecce venio, ut faciam De-
us voluntatem tuam*. 2do offert *se integrè*, absque ulla reservatione aut restrictione. Ipse nobis declarat, quòd totus in eo sit, ut volun-
tatem Patris sui, exequatur, hæc erat regula omnium cogitationum intellectûs sui; omnium motuum & affectuum voluntatis suæ, & o-
mnium eorum, quæ officium & ministerium suum ab eo exigebat; *quæ placita sunt ei, facio semper*. Joan. 8. 3tiò: offert se modo aliquo *perpetuo- & irrevocabili*. Sacrificium hoc matutinum, certum est præsagium, se-
cuturi sacrificii vespertini, neque cessavit un-
quam illud offerre, quousque illud non in cru-

ce consummarit, hinc tam frequenter ad Apostolos suos dicebat; Luc. 12. *quomodo coarctor, usquedum perficiatur?* o exemplum sanè pulcherrimum pro Clericis; oblatio igitur, quā de seipsis facere debent Deo, ut imitatores sint oblationis Jesu Christi, de se factæ, debet esse 1mo. *prompta*, Nil magis refert, ad reddendas Deo oblationes nostras gratas, acceptasque, quàm ut maturè fiant. Quia nullius, quod illi offere possumus, quodcunque demum sit, vel esse possit, indiget, valorem illius, quod offerimus, aliter sublimare, & extollere non possumus, quàm ut promptè & hilariter illud offeramus; *hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9. 7. Hinc in lege veteri petit primitias omnium rerum, voluit sibi offeri primicias animalium, & hominum, & primos fructus terræ. Esto igitur promptus ad offerendum Deo omne illud, quòd à te petierit, ut ita grata ei possit esse oblatio tota.

2dò. Debet esse *integra*. Ex eo tempore, quo te ad statum & ministerium ecclesiasticum obligâsti, per susceptionem sacrorum ordinum, debes te non aliter considerare, quàm Deo consecratum, & absolutè pro servitio illius destinatum; non est tibi permissum, de tuis bonis, de tua anima, de persona tua, aliud, vel aliter disponere, nisi pro illius gloria. Vel minima reservatio totam oblationem tuam fœdaret, & omne meritum illius auferret; nam quia oblatio ista esse debet,

per-

perfectum holocaustum, nihil exinde tibi ipsi retinere potes; rapina enim foret, ut ait Propheta Is. 61. 8. *odio habens rapinam in holocausto.* 3tio. Oblatio esse debet *perpetua & irrevolabilis.* Parùm tibi prodesset, quòd semel te Deo obtuleris, si postea defatigeris, & id ipsum iterum repetere velles; quod semel eidem consecrâsti. En! qualitates, quas sacrificium tuum habere debet; renova illud hodie, ad pedes altaris; sed cum omnibus istis conditionibus, quæ solæ illud Deo gratum, reddere possunt, & acceptabile.

O JESU! qui te obtulisti hodierna die Patri tuo æterno, fac per tuam, ex omni parte sanctissimam oblationem, ut nos omnino & integrè, tibi consecrati simus, per talem abrenuntiationem, quæ sit sine omni reservatione; adeò, ut prompti ac parati simus, sanitatem, vires omnes, vitam nostram ipsam impendere, pro, & in tuo servitio, per oblationem perennem permanentem, & irrevocabilem. *Quid enim mihi est in cælo? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.* Ps. 47.

FINIS PARTIS HYEMALIS.

****

****

*****

***

**

INDEX
MATERIARUM HUJUS PARTIS hyemalis.

rius

FERIA

FERIA TERTIA.

FERIA QUARTA.

FERIA QUINTA.

FERIA SEXTA.

PRO VIGILIA NATIVITATIS

PRO FESTO NATIVITATIS D. N. I. C.

PRO FESTO S. STEPHANI PRIMI. MARTYRIS.

PRO FESTO S. JOANNIS. EVANGEL.

com-

1. *Quàm*

FERIA

FERIA TERTIA.

ADDITIO MEDITATIONUM, DE S. ANDREA APOSTOLO, Trigesima Novembris.

DE S. FRANCISCO XAVERIO INDIARUM APOSTOLO, TERTIA DECEMBRIS

PRO FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V. M. OCTAVA DECEM.

PRO FESTO S. THOMÆ APOSTOLI. VIGESIMA PRIMA DECEMBRIS.

DE FESTO S. FRANCISCI SALESII.

JN FESTO PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ.

SOLI DEO HONOR Et GLORIA.







